

H. F. u f. 80 (4.3)
DE

MERCENARIIS MILITIBUS

APUD ANTIQVAS GRÆCIÆ CIVITATES,

A BELLO PELOPONNESIACO

USQÛE AD LAMIACI BELLI EXITUM.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI HANC THESIM PROPONEBAT

H. DANSIN,

HISTORIÆ PROFESSOR IN LYCÆO ARGENTORATI,


OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.



ARGENTORATI,

EX TYPIS G. SILBERMANN, IN PLATEA SANCT-THOMÆ, 3.

1857.



THE HISTORY OF THE

REPUBLIC OF THE UNITED STATES

OF AMERICA

BY

JOHN F. BURNETT

Author of "The History of the Republic of the United States"

and "The History of the Republic of the United States"

and "The History of the Republic of the United States"

and "The History of the Republic of the United States"

THE HISTORY OF THE

REPUBLIC OF THE UNITED STATES

OF AMERICA

BY

ELEGANTISSIMO SCRIPTORI ET DISERTISSIMO PROFESSORI

E. GERUSEZ

*hanc thesim, memoris animi pignus,
alumnus dicavit*

H. DANSIN.

MERCENARIIS MILITIBUS

ADRIANUS BUCHANANUS CIVITATIS

A BELLO PEOPONNESIACO

EPOSCO AD LAMNATI BELLI DEPUTATO

PICOENIUM

Machisvolius in illo libro qui Virneque inscribitur,
 domi causas recenset quae libertatem Italiae perdidit,
 et eam exteras regibus quasi certam praedam opsecra,
 nullam rem aliud voluisse ad Italiae excidium referant,
 quam quod principes in mercenario milite spem om-
 nem reponerent. « Italiae praedam praesens excidit »,
 « inquit, manifestum est non ex illis causis esse ortum,
 sed ex eo quod mercenarii armis principes compulerint.
 « quapropter Carlo regi facile fuit occupare Italiam.
 « namque et ipsi certum principis et reipublicae, potius
 « proprio quam alieno, militem praeferebant, et copias
 « armis mercenariis semper aliud delectamentum esse
 « placebat. » Et alius : « Mercenarii armis in Italia eam que »

DE
MERCENARIIS MILITIBUS

APUD ANTIQVAS GRÆCIÆ CIVITATES,

A BELLO PELOPONNESIACO

USQUÈ AD LAMIACI BELLÌ EXITUM.

PROCÆMIUM.

Machiavellus, in illo libro qui *Princeps* inscribitur¹, dùm causas recenset quæ libertatem Italiæ perdiderunt, et eam externis regibus quasi certam prædam objecere, nullam rem adeò valuisse ad Italiæ excidium affirmat, quam quod principes in mercenario milite spem omnem reposuissent. « Italiæ quidem præsens excidium, » inquit, manifestum est non ex aliis causis esse ortum, « quam quod mercenaria arma principes comparaverint..; » « quapropter Carolo regi facile fuit occupare Italiam...: » « nempè re ipsâ cernitur principes et respublicas, quùm » « propriis armis niterentur, multùm profecisse; è copiis » « autem mercenariis semper aliquod detrimentum accepisse. » Et aliàs : « Mercenaria arma inutilia sunt pror-

¹ Machiav., *Princeps*, c. XII.

« sùs et periculosa. Imperio enim armis mercenariis sub-
 « nixo qui præest, nihil firmum, nihil securum habet;
 « nempè ista auxilia ambitiosa sunt, nullius fidei, nul-
 « lius disciplinæ, infensa suis, in hostes inertia, nullo-
 « que Dei metu, nullâ hominum fide tenentur....; in pace
 « quidem illi ipsi milites, in bello autem, hostes tui te
 « dispoliant. » Quamobrem in hanc sententiam noster
 auctor adducitur, bonas scilicet leges esse non posse,
 ubi bona non sint arma, hoc est arma civium.

Quæ quidem ab historico graviter et justè dicta,
 paulò attentius Græciæ historiam perlegenti obversan-
 tur sæpissimè, ità ut utramque gentem pari fortunâ
 usam esse ultrò credideris. Eo enim tempore quo græcæ
 civitates in sese arma civilia vertere et bellum Pelopon-
 nesiacum aggredi cœperunt, plurimi populi, minùs quam
 antea propriis animis et viribus confidentes, stipendia-
 rios milites sibi adsciscere instituerunt. Quæ pestis,
 primùm obscura et latens, mox ità Græciam pervasit,
 ut nulla regio, nulla civitas ad mercenaria auxilia non
 confugeret, neque salutem libertatemque suam eis
 committeret. A bello Peloponnesiaco usquè ad Græciam
 Macedonicæ ditioni subjectam, quod quidem tempus
 duo prope sæcula amplectitur, nullum ferè bellum sive
 intrâ Græciæ fines, sive in Asiâ gestum est, quin ex
 utrâque parte maximâ mercenariorum copiâ acies con-
 stiterit. Operæ pretium fore credidimus si causas expla-
 naverimus quibus græca gens, ingenio militari quasi

peculiari dono naturæ instructa, adeò oblita virtutis pristinae fuerit, ut jam non suis sed alienis militibus, lucri spe conductis, uti sustinuerit. Ubi autem causas eas in lucem produxerimus, mercenariorum indoles et disciplina describendæ erunt, ut simul pestis istius natura pateat, simul corruptela civitatum quæ ultrò se tam nefario hominum generi subjecere. Nam quæ ab aliis tolerare solent homines, non minùs de eorum indole monere nos valent, quam quæ alios à se pati cogunt. Et quidem, si pateat eam mercenariorum militum indolem fuisse, ut neque confidere iis propter perfidiam et avaritiam, neque carere iisdem propter ingenium militare licuerit; si eos ostenderimus amicos semper tanquam hostes propemodùm habuisse, et, in quærendis stipendiis, nullum servitutis libertatisve fecisse discrimen, neque penates novisse, neque leges divinas aut humanas esse secutos, quis dubitat quin ex miserrimâ istâ Græciæ conditione nova quædam de Græcorum moribus et institutis in lucem proferri possint?

In illo *Principis* libro Machiavellus mercenaria auxilia in perniciem atque excidium Italiæ inventa fuisse, ut suprâ diximus, confirmat. Quod si non minorem pestem in Græciam à mercenariis defluxisse probaverimus, indè forsàn apparebit ambas illas gentes, quamvis longo temporum intervallo disjunctas, fortunam omninò similem et in amplificatione et in ever-

sione opum suarum fuisse expertas. Nam ut summatim aliqua de utriusque gentis sorte attingamus, quemadmodum italicæ civitates, in illo acerrimo contrà Germanos bello, propriâ virtute, propriisque copiis inmitentes, libertatem patriam tutari et confirmare visæ sunt, ità in antiquiori ætate civitates græcas videre fuit servitium à Persis ingruens excutientes, seque propriâ virtute proprioque civium exercitu vindicantes in libertatem. Sicut autem, hoste externo deficiente, Itali in sese iras et ferrum convertère, factionibusque indefessis laboraverunt, donec à militari virtute abhorrentes, seque resque suas mercenariis militibus traderent, quod brevi eos sub tyrannorum potentiam egit, ità illam mercenariorum militum pestem forsanprehendemus causam acerrimam fuisse cur Græciæ civitates, ubi civili motu misceri cœperunt, in teterrimam servitutem abierint.

Quod ad fines propositi operis attinet, à Peloponnesiaco bello orti, non ultrà Lamiacum bellum progrediemur. Scimus enim eam Græciæ conditionem post Lamiacum bellum fuisse ut in ditionem Macedonum propemodum omnis redacta, libertatis pristinae forsan desiderium, minimè verò formam et animum servaverit. Equidem libertas illa, ex Achæo fœdere rediviva, Græciæ iterum illucebit; tempora autem, tanto intervallo disjuncta, intra eosdem fines concludere minimè conveniat. His circumscripti terminis, quæ civitates et quæ

imperia Græciæ mercenarios sibi adsciverint, prius absolvere, et inde ad causas quæ mercenarios excitaverint devenire destinavimus. Tertiæ autem partis opera erit eorum indolem, mores et disciplinam describere, propositumque concludemus dicendo cum quantâ morum fortunarumque mutatione Græci eam stipendiariorum pestem foverint.

I.

QUÆ CIVITATES ET QUÆ IMPERIA MERCENARIOS MILITES
SIBI ADSCIVERINT, ET QUIBUS CAUSIS.

Milites mercenarios¹, id est pro externâ gente militiam stipendio exercentes, in heroicis temporibus existisse minimè constat. Apud Homerum, qui quasi perennis est fons ex quo amplissima documenta de conditione et moribus veterum Græcorum defluunt, nullam ejusmodi militum mentionem habitam fuisse reperias. Elapsâ heroicâ ætate, civitatis cujusque instituta valdè mutata sunt, quùm ex regiâ ditione in potestatem paucorum devenire vulgò urbes visæ sunt, moxque in tyrannorum dominationem transgredi. Pauca quidem nobis temporum eorum quibus tyranni habuère imperium, documenta supersunt quibus conditionem statumque civitatum deprehendamus, præsertim illo Aristotelis opere deficiente, quo cujusque civitatis instituta concludebantur, et quasi digerebantur in nu-

¹ Μισθοφόροι, apud Thucyd., 6, 124. Polyb., III, 109. Demosth., *Olynth.*, I, 27. — Ξένοι, apud Xenoph., *Anabas.*, I, 1, 10, 18; II, 6, 28. *Republ. Lacedem.*, XII, 3; XIII, 4. Thucyd., I, 121. — Ξένοι ἑμισθοί, Plato, *De Legib.*, VII. — Τὰ ξένισα, Xenoph., *De Offic. magistrat. equitatus*, IX, 4. Demosth., *Philip.*, I. — Τὸ ξένιστον, Aristoph., *Plut.*, 173. Xenoph., *Anabas.*, I, 2. — Peregrini milites, Q. Curtius, III, 3, 1; IV, 13, 16. — Mercenarii milites, Cornel. Nep., 1.

merum. Sunt tamen apud eundem philosophum loci quidam ex quibus conjici potest nullam tyrannidem mercenariis auxiliis abstinuisse. « Illud, inquit Aristoteles¹, reges inter et tyrannos differt, quod cives armati regibus, milites autem externi tyrannis invigilant. » Idemque de tyrannis Polybius affirmat : « Tyrannorum, » inquit, salus in animis et armis mercenariorum militum admodum continetur². » Exempla ex Herodoto excerpta rem etiam confirmant, si quidem ex Peloponneso plurimos Argivos stipendio conductos in subsidium Pisistrati venisse ex historiis ejus constat³. Ità, ubicumque tyranni imperium adipisci et exercere cœperunt, statim ad se milites peregrinos adscivère⁴. Quomodo videlicet imperium, vi partum, retinere potuissent, nisi suas res vitæquæ tutelam istius modi hominibus credidissent quibus, præter pecuniæ, nullius rei religio erat? Illæ autem dominationes, quæ tyrannides vocabantur, sub belli Medici initium sensim jam evanuerant; ubi verò bellum civile exarsit, tum aliquoties, propter turbidas civitatum res, resurgere visæ sunt. Neque novi illi tyranni à mercenariis militibus magis abstinuère : nempè à Xenophonte audivimus

¹ Aristot., *Polit.*, III, 9, 4 : Οἱ γὰρ πολῖται φυλάττουσιν ἑπλοῖς τοὺς βασιλεῖς, τοὺς δὲ τυράννους ξενικόν.

² Polyb., XI; *Fragm.*, X.

³ Herod., I, c. 59, 61, 64.

⁴ Arist., *De Rhet.*, I, I, c. 10.

Euphronem¹, qui Epaminondæ æqualis erat, postquam apud Sicyonios imperio potitus fuit, nullum sibi certius dominationis adminiculum credidisse, quam si publicas sacrasque pecunias expilavisset, quibus magnam stipendiariorum militum copiam posset cogere. Eodem circiter tempore, in Siciliâ, quam deinceps quasi partem Græciæ habere nobis venia dabitur, nullam sine externis militibus tyrannidem exstitisse certum est. Quoties in Plutarcho aut in Diodoro mentio habetur de mercenariis catervis quas uterque Dionysius è Græciâ tyrannidis subsidio adseiverat! « Conductitiam manum, ait « Diodorus, è Græciâ et Lacedæmoniorum ditione potissimum Dionysius minor contraxit. A quibus enim potentia ejus creverat, ab iisdem etiam quotquot vellet, militiæ suæ adscribendi copia illi facta est...; larga quidem stipendia iis obtulit, plurimosque fidei suæ obligatos accepit². » Aliàs autem idem Diodorus : « Conquistores, inquit, in Peleponnesum cum magnâ pecuniarum vi dimisit, quibus mandatum erat ut quantamcumque possent, undique militum vim conducerent, stipendiis minimè parcentes³. » Plenæ etiam Diodori historiæ sunt locis quibus constat Agathoclem aut in parandâ aut in exercendâ tyrannide peregrinis militibus fuisse adjutum. Scilicet illi milites, quanquam

¹ Xenoph., *Hellen.*, VII, 4.

² Diod., XIV, 116.

³ Id., XIV, 62.

turbulenti et avari, et in quamlibet seditionem semper præcipites, tutius tyrannidis subsidium quam cives ipsi meritò habendi erant. Scimus quoque Alexandrum illum Pherarum tyrannum, à quo Pelopidas oppressus est, mercenarias copias secum habuisse, quibuscum adversus Bœotios bellum inivit¹. Plura alia et, ut ità dicam, innumera testimonia apud historicos reperias quibus pateat nullam in Græciâ tyrannidem sine conductitiis militibus natam esse aut stetisse. Rem verò satis per se manifestam plurimis exemplis ostendisse et illustrâsse foret otiosum.

Operæ magis pretium erit si ostenderimus civitates, quæ libertate et civilibus institutis fruerentur, non minùs quam tyrannos conductitias copias adhibuisse. Nempè, sub Peloponnesiaci belli initium, plurimæ civitates, et eæ quidem maximæ, ad mercenaria auxilia concurrere visæ sunt: à quo subsidio adeò non, post confectum bellum, abhorruère, ut contrà in dies majoribus se copiis conductitorum instruxerint, donec libertatem admodùm perdiderint.

Hanc viam Athenienses primùm ingressos libenter ex Thucydidis testimonio crediderim. In illâ concione² quæ, ut ità dicam, historiæ simul et belli Peloponnesiaci proœmium est, et in quâ Corinthios legatos audire est

¹ Plut. in *Pelop.*, μισθοφόρους τινὰς προσλαβόμενος, c. 27. — Corn. Nep. in *Pelop.*, c. 5.

² Thucyd., l. 1, c. 121.

Peloponnensibus iras et furorem belli afflantes, de nau-
tis externis mentio habetur apud Athenienses merenti-
bus stipendium, eodemque loco Athenas talibus auxiliis
antèa jam usas esse haud ægrè intelligitur. «Nos autem,
«aiunt legati, si pecuniam mutuemur, facilè ad nos me-
«liori mercede externos illos nautas trahemus, scimus
«enim Atheniensium potentiam et opes magis pecuniis
«quam civium animis inniti¹. » Et quidem Atheniensium
opes, circà Medici belli exitum, in tantum creverant, ut
plurimis mercenariorum millibus conscribendis atque
alendis certè sufficerent. Illi igitur, numerum civilium
militum multò minorem, pecuniarum vi et abundantia
pensantes, è diversissimis regionibus conductitias co-
pias, quandiù bellum permansit, conquisivère. Scilicet,
ne multa alia quæ in promptu sunt exempla adhibeam,
illa classis tanto apparatu in Siciliae vastationem et exci-
dium instructa, non socios modò Atheniensibus mixtos
exportavit è Piræo, verùm Argivos etiam, et Mantineos,
Cretensesque et Rhodios pro mercede militantes². Post-
quam autem in mentionem Syracusanæ obsidionis Thu-
cydides devenit, peltastas Thracios etiam nominat³, Ar-
cadiosque et Ætolos quos in subsidium classis et exer-
citûs publica Athenarum concio pretio conductos demi-

¹ Thucyd., l. I, c. 121.

² Thucyd., II, 29. IV, 128. VII, 27. VI, 31. VII, 407.

³ Aristophanes quoque mercenarios milites è Thracia venisse Athe-
nas memoravit (Aristoph., *Lysistrat.*, v. 563. *Acharnens.*, v. 155).

serat. Ità furore quodam instincti, et majora semper affectantes quam pro viribus suis et pro civium numero æquum erat, Athenienses paulatim adducti sunt ut cùm externis militibus pecuniâ adscitis classes atque exercitum communicarent.

Confecto autem, post ingentem rerum Græcarum immutationem, bello Peloponnesiaco, Athenienses neque pristinam dominationem retinere, neque à desiderio eversæ fortunæ abstinere potuerunt¹. Itaque, ubi maritimi imperii spes aliqua reparandi illuxit, tùm naves instrui atque adornari, tùm commeatibus et militibus civitas strepere iterùm, et naves Ægæum mare iterùm tentare, ne coloniæ quæ Macedonicum et Thracium littus obtinebant, in potestatem hostium venirent. Erat autem ea civitatis conditio ut continuis funeribus aut exiliis debilitata, tanto oneri magis ac magis impar in dies evaderet. Constat enim post Peloponnesiacum bellum non ultrâ viginti millia civium Athenis fuisse, si saltem Demostheni² et Aristophani³ fides adjungatur, qui illi ætati prope æquales, in hoc numero indicando ambo consentiunt. Isocrates⁴ quoque deficientem in dies numerum

¹ Isocrat., *Orat. de Pace*.

² Demosth. *contrà Aristogit.*

³ Εἰσὶν γε πόλεις χίλιναι, αἱ νῦν τὸν φόρον ἡμῖν ἀπάγουσι.

Τούτων εἴκοσιν ἄνδρας βόσκειν εἴ τις προσέττατεν ἑκάστη,

Δύο μυριάδας τῶν δημοτικῶν ἔζων ἂν πᾶσι λαγῶσις.

(Aristoph., *Vesp.*, V, 707-710).

⁴ Isocr., *De Pace*.

civium questus est: «Quanta multitudo civium perierit, «ex hoc, inquit, facile perspicitur quod gentes (γένη) «præclarissimorum virorum amplissimæque familiæ quæ «et tyrannicas grassationes et bellum Persicum effugerant, extirpatas esse reperimus. Ità permutati et alii «propè facti esse videmur.» Illi quidem peregrini, qui servos inter et cives medium quasi ordinem civitatis obtinebant, quique *Μετοίχοι* vocabantur, procul dubio civili militiæ supplemento adscribebantur; Diodorus¹ enim narrat post Arginusarum pugnam Athenienses continuis adversæ fortunæ cladibus debilitatos, civitatem inquilinis cæterisque peregrinis dedisse², quibuscum belli discrimen communiter adirent. Obstabat verò numerus *Μετοίκων*, et ingenium magis commercio et servilibus operis quam rei militari accommodatum, quominus justum exercitibus supplementum præberent³. Neque eodem tempore in sociis civitatibus quidquam præsidii erat, nam fractis bello Peloponnesiaco rebus Atheniensium, ab imperio quod vi tantum innitebatur, socii propè ad unum desciverant. Itaque necesse fuit ξεναγοίς illos adire, quibus munus erat milites hinc atque indè pretio allectos militiæ adscribere. His quidem annumerandi sunt Chabrias, de quo apud historicos sæ-

¹ Diod., XIII, 64.

² Quinimò, ex Aristophane didicimus eodem tempore eademque causâ plures servos civitate donatos fuisse (Aristoph., *Ranæ*, V, 692).

³ Ideò Xenophon eos militiâ immunes esse debere censebat (Xenoph., *De Redit. Atticæ*, c. 2).

pissimè agitur¹, Iphieratesque et Charidemus, Chares
 atque Timotheus², quos in concionibus Demosthenes ob-
 jurgavit sæpius quam laudavit. Hi tamen, propter ne-
 cessitates belli, tantam Athenis auctoritatem adepti
 sunt, ut quidquid iis libuisset, statim pro grato habe-
 retur, ità ut Iphicrati, quamvis omnibus flagitiis coo-
 pecto, statuam honoresque amplissimos, Prytanumque
 ipsum Athenienses decreverint³. Hæc autem longius
 referre aliàs expedit, ubi mores mercenariorum mili-
 tum attingemus. Satis nunc erit si summatim significa-
 verimus ità se dedidisse tunc temporis mercenariis auxi-
 liis Athenas, ut jam potentiæ, nominis, salutisque
 spes ipsa è conductitiis militibus penderet. Quam igna-
 viam acerrimis concionum verberibus Demosthenes
 lacescens: «Nemo, inquit, mihi nomet decem aut
 «viginti millia mercenariorum, neque opes illas inanes
 «quæ tantum in epistolis continentur. Militiam è civibus
 «constare necesse est... Oro igitur vos atque obsecro,
 «Athenienses, ut cives ipsos ad bellum proficisci, et cum
 «cæteris militibus classem conscendere velitis⁴.» Et
 Isocrates: «Hic, inquit, Græciæ status est, ut facilius
 «sit exercitum conscribere ex erroneis quam ex civi-

¹ Xenoph., *Hellen.*, VII, 1, etc. — Plut. in *Phoc.* — Theopomp. ap. Athen., I. XII, p. 532.

² Demosth. contrà *Aristocrat.* — Diodor., I. XVI, c. 83.

³ Demosth. contrà *Aristocrat.*

⁴ Μή μοι μυρίους, μηδὲ δισμυρίους ξένους μηδὲ τὰς ἐπιστολιχαίους ταύτας δυνάμεις, ἀλλ' ἡ τῆς πόλεως ἔστω, etc. (Demosth., *Phillip.*, I).

« bus¹. » Idemque acrioribus etiam verbis in concione *De Pace* utens : « Imperare, inquit, studemus omni-
 « bus, sed bellum ipsi gerere nolumus, ac nemo ferè
 « est quem bello non lacessamus, quum tamen rei mili-
 « taris exercitationem prorsus omittimus....; tantòque
 « deteriores sumus majoribus nostris, ut illi, si qui-
 « bus inferre bellum decrevissent, quamvis argento et
 « auro refertum esset ærarium, tamen suis ipsorum
 « manibus exsequenda quæ statuerant, censerent; nos,
 « ad tantam egestatem redacti, in tantâ civium multitu-
 « dine, perindè ac Magnus rex conductitiis militibus uta-
 « mur². » Quod autem de egestate ærarii, et multitudine
 civium Isocrates contendit, magis hoc in concinnita-
 tem verborum inductum credam, quam quod rebus con-
 gruens fuerit, quandoquidem ex Demosthene et Aristophane,
 ut suprâ diximus, accepimus numerum civium
 citrà viginti millia potiùs quam ultrâ stetisse. Quid au-
 tem ! reum confitentem, ut itâ dicam, Isocratem ipsum
 habemus in illo loco in quo, præclarissimos viros de-
 functos, amplissimasque familias extinctas questus est.
 Quod verò ad egestatem reipublicæ spectat : « Navibus, ait
 « Demosthenes, in nonâ *Philippicâ*³, pecuniis opibusque

¹ Οὕτω γὰρ ἔχει τὰ τῆς Ἑλλάδος, ὥστε ῥᾶνον εἶναι συστήσαι στρατόπεδον
 μειζον καὶ κρείττον ἐκ τῶν πλανομένων ἢ τῶν πολιτευομένων. (Isocr.,
De Pace.

² Isocr., *De Pace*.

³ Demosth., *Philipp.*, IX.

« variis quibus bellum alitur, magis quam antea abunda-
 « mus. » Quod idem in decima *Philippica* his verbis con-
 firmat: « Fuit, inquit, tempus, neque ita à nobis distat,
 « quo ærarium publicum vix centum et triginta talenta
 « quotannis acciperet..., nunc autem fortuna nobis ita
 « arridet, ut reditus nostri quadringenta talenta jam adæ-
 « quent. » Scilicet ex quæstuosæ mercaturæ fructu pu-
 blicæ privatæque opes in dies augebantur, quibus in
 promptu erat peregrinorum militum copias vel maxi-
 mas conscribere.

Oblata etiam eodem circiter tempore ærarium simul
 et militiam augendi alia fuit occasio, quum Phocenses
 templum delphicum exspoliavere, undè auri et argenti
 maxima vis in Athenienses et Lacedæmonios effluxit:
 quæ fortunarum amplificatio ad novos milites contra
 Philippum¹ conducendos Atheniensibus statim profuit.
 Postquam autem Alexander bellum in remotissimas
 Asiæ partes trajecit, Harpalus quidam, thesauro Mace-
 donico Babylone præfectus, quinque millia talentorum
 et sex millia militum mercenariorum in Atticam,
 transfuga simul et proditor, deduxit², Athenien-
 siumque ærarium et exercitum novis illis subsidiis ex-

¹ Diod., XVI, 23, 30, 31, 32, 33, 37. — De Philomelo ita loquitur
 Diodorus: Πολλῶν ὑπακούοντων πρὸς τὴν στρατείαν, διὰ τὸ μέγεθος
 τῶν μισθῶν... — De Phayllo: Ἐχων γὰρ χρημάτων πλῆθος ἀνέκλειπ-
 τον...

² Diod., XVII, 408.

plevit. Istam enim pecuniam ab Atheniensibus ad Lamiacum bellum fuisse usurpatam his verbis Diodorus declarat: «Adjumentum ipsis, inquit, ad hoc bellum «præbuit magna vis pecuniarum ab Harpalo relicta, et «præter has miles conductitius à satrapis asiaticis exau-
«toratus. Octo enim millia ad Tænarum Peloponnesi
«commorabantur: ideò et clanculùm mandaverunt Leos-
«theni Atheniensi, ut tanquam suum negotium agens,
«sibi illos initio adjungeret¹.» Istius belli exitu Athenarum simul et Græciæ libertatem oppressam fuisse novimus: quod meritò evenisse dicendum est, siquidem indigni prorsùs libertate habendi sunt qui eam neque moribus bonis retinere, neque propriâ manu tueri valuerunt.

Neque dubium est quin Spartani etiam in exercitu mercenarios milites civibus commixtos tulerint. Antiquitus quidem, hoc est ante belli Medici initium, exercitus Spartanorum ex solis Lacedæmoniis constitit². Nam quùm nulli adhuc socii essent, nulla fides in victis, opibusque destituerentur quibus mercenarias manus conducerent, necesse erat ut per se bella omnia obirent. Postea verò, hoc est inter Medica bella,

¹ Diod., XVIII, 9: Ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν ἁμίσθους γενομένους, ὑπὸ τῶν Σατραπῶν μισθοφόρους, ὄντας ὀκτακισχιλίους...

² Qui exercitus apud Xenophontem πολιτικὸν στρατὸν dicitur (*Hellenic.*, I, V).

vario militum genere exercitus comparari cœpit, Spartanosque et Laconas, socios libertinosque, imò etiam Ilotas ipsos, dominorum propè commilitones factos, in eâdem acie versantes pugnantesque videre fuit¹.

Jam Lacones, qui sæpiùs *περίλοιχοι* nominabantur, quibusque maxima Laconiae pars à Lycurgo concessa fuerat, ut commercio variisque artibus operam darent, Lacones, inquam, levis armaturæ milites erant, aut nautæ remigium exercebant². Socii autem, quos cum mercenariis militibus minimè conferre deceat, sociarum urbium milites erant, qui pro *συμμάχοις* aut *βοήθοις* in opem Spartanorum missi, stipendium à civitate ex quâ venerant, accipiebant, finitoque bello dimittebantur. Quod quidem, ne plura exempla adhibeam, exemplo eorum liquet quos Agesilaus secum adversus Thebanos duxit. Ilotæ verò aliquoties in impedimentis sarcinarum militarium custodiam habuère, sæpiùs autem dominorum quorum latera tegerent, in acie ipsâ fuerunt comites, quod ex Herodoto accepimus qui Plataeæam pugnam narrans septem servos circà singulos Spartanos in acie collocatos fuisse ad corporis custodiam memorat³.

¹ Thucyd., l. IV, c. 8. — Herodot., l. 9, c. 40 et 48. — Plut. in *Arist.*, 26.

² Vide apud Xenoph., l. IV. *Hellenic.*, quùm Spartanorum socios in bello Thebano recenset.

³ Herodot., l. IX, c. 29. — Quod etiam testatus est Plutarchus in *Aristide*, loc. cit.

Ea quidem Spartani exercitus conditio fuit, quandiū bella Medica sæviere; ubi autem bellum Peloponnesiacum ortum est, et quasi incendio universa Græcia flagrare cœpit, Spartani exemplo Atheniensium se accommodantes, pecuniā milites comparare civibusque eos adscribere statuerunt. Quod si quis miretur eam gentem, ad arma quodammodò ingenio et institutis destinatam, et inter arma continuò viventem, mercenaria auxilia sibi contraxisse, meminerit Spartanorum numerum, jàm ab initio exiguum, in hanc paucitatem¹ redactum fuisse, ut Ilotis mediisque illis civibus qui *Περιοίχοι* vocabantur, exceptis, vix duobus tribusve milibus civium exercitus constaret. Ex quo evenit ut Spartani, postquam in Sphacteriā insulā quadringenti cives ab Atheniensibus circumsessi in potestatem hostium devenēre, itā detrimento isto afflicti, imò etiam attriti sunt, ut statim, nullā aliā clade ad inducias coacti, cum Atheniensibus de pace agere voluerint². Eodem tempore, quum Brasidas bellum in colonias Atheniensium circā Macedoniæ littora sitas, trajicere è Peloponneso meditatus est, vix unum aut alterum civem secum abducendi copiam habuit, et militiam omnem ex Ilotis et

¹ Eam paucitatem Spartanorum Aristoteles sic probat: *Τοιγαροῦν δυναμένης τῆς χώρας χιλίους ἵππους τρέφειν καὶ πεντακοσίους, καὶ ὀπί-
τας τρισμυρίους, οὐδὲ χιλίοι τὸ πλῆθος ἦσαν* (Arist., *Polit.*, II, c. 6).

² Thucyd., I. IV, c. 5 et 49. — Vide etiam Aristoph., *Lysistr.*, v. 1163; *Nubes*, v. 486; *Equites*, 1201; *Pax.*, 219, 665.

Πεποιτοίχοις comparare debuit, in tantam civium inopiam continua bella, et leges quibus sedulò Lycurgus caverat ne in civitate ultrà novem millia civium versarentur, Spartam adduxerant¹! Legitimo militum eorum subsidio destitutus, Brasidas in supplementum exercitùs Thraces et Edonios² mercede militantes ad se vocavit, quæ prima Spartanorum cum mercenariis societas videtur fuisse. Postquam autem Lysander Athenis obsidione potitus est, et quidquid nominis Atheniensium in Græciâ erat, in ditionem Spartæ traduxit, tum Spartanorum ambitio in immensum crescere; tum animo et armis tentare omnia, maria et terras circumspicere, Græciæ sibi totius arrogare imperium³, impetum in Asiæ littora meditari quasi redundaret conferta militibus civitas, quùm tamen propemodùm civili robore destitueretur. Necesse igitur fuit peregrinas copias iterùm in militiam mercede allicere, quæ res eò minùs invidiosa Spartanis visa est, quod Sesto Athenisque à Lysandro oppugnatis immensæ divitiæ Spartam effluerant⁴, cuilibet conductitiorum multitudini alendæ

¹ Thucyd., l. V, c. 6. Ex Xenophonte etiam constat Agesilaum Agesipolimque ultrà triginta Spartanos in bellum secum educere non potuisse (Xenoph., *Hellen.*, V).

² Xenoph., *Hellen.*, V.

³ Plut. in *Lys.*, c. 25.

⁴ Diodor. (l. XIII): 1500 talent. Sesto Spartam venisse contendit; Xenophon autem 480 t. ex spoliis Athenarum fuisse ablata (Xenoph., *Hellen.*, l. 44).

haudquaquam impares. Et quidem, plurimi conductitii milites in exercitu Lysandri ad Haliartum¹, Agesilai que in acie ad Coronensem² pugnam stipendia Spartanorum merebantur, eademque ætate Lacedæmonii nautas stipendiarios in classe habebant³. Neque ita multò post, quùm Epaminondas Spartanorum superbos fastus, dominationisque insolentiam in Leuctricâ pugna attrivit, Dionysius in subsidium labantis fortunæ Spartam misit duo millia mercenariorum militum quos è Galliâ et Hispaniâ spe mercedis allegerat⁴. Scilicet Magnus rex accuratissimè providebat, ne pecunia ad bellum alendum deficeret Spartanis; et ex hoste amicissimus Spartanorum factus, minimè thesauris parcere statuerat, ne bellis fracti civilibus, et facultatibus destituti, adversus externum hostem, ut olim, Græci in unum coalescere auderent. Quam mentem hisce verbis Xenophon satis dilucidè expressit⁵ : « Pul-

« chrum quidem est, inquit, odisse Persas, tùm ob
 « impetum olim à Xerxe in Græcos factum, tùm quia
 « rex hodiè fœdus init cum gentibus admodum civi-
 « lati nostræ infensis, aut in nos pecuniâ inimicitias

¹ Xenoph., *Hellen.*, III, 5.

² Xenoph., *Hellen.*, IV, 2.

³ Mnesippus, classis Lacedæmoniorum præfectus, contrâ Coreyræos bellum gessurus, mercenarios milites conduxerat (Xenoph., *Agesil.*, II, 2. Id., VI, 2, 5. Id., *Hellen.*, VI, 2; VII, 4).

⁴ Diodor., I. XV, c. 70.

⁵ Xenoph., *Agesil.*, c. 7.

«acerrimas movet, neque pacem suadere videtur,
«nisi quæ vehementiùs etiam bellum inter Græcos
«foveat.» Multa etiam in cæteris annalibus occurrunt,
ex quibus ea res non minùs apertè patet, quæ tamen
referre non curamus, ne longiùs à proposito digre-
diamur.

Neque postea Lacedæmoniis pecunia magis defe-
cisse videtur, nam Philippi temporibus, quùm sacrum
bellum primùm exarsit, Philomelo, Phocensium
duci, pecunias largiti sunt, ut justo mercenario-
rum robore confirmatus, Macedonibus acrius ob-
sisteret¹. Post, ubi Alexander, Græcià prope uni-
versà in ditionem ipsius subactâ, ad Persas vires
convertit, ea peculiaris Spartanorum gloria fuit Mace-
donum societatem et amicitiam detrectavisse, imò in
eos pro libertate Græciæ inisse certamen, quod tamen
sine pecuniis à Dario Spartam missis adoriri non susti-
nuissent. «In Europâ, ait Diodorus², Agis, Lacedæmo-
niorum rex, mercenariorum militum octo millibus,
«qui ex prælio ad Issum evaserant, adscitis, novas res
«in Darii gratiam agitare cœpit, classe ab hoc, magnâ-
«que pecuniarum vi acceptâ.» Neque verò Spartani,
dum vita Alexandro suppeditavit, in eum cum plurimis

¹ Diod., l. XVI, c. 25. — Pausan., l. 10, c. 2.

² Diod., l. XVII, c. 48.

Peloponnesi populis bellum gerere abstinuerunt suam Persarumque injuriam simul vindicantes. Quid autem! libertatis istis propugnatores in aciem educebant milites qui tutissima servitutis præsidia haecenus se præstiterant!

Nunc, si ad minores Græciæ civitates pergamus, manifestum erit eas etiam peregrinos ad se milites adscivisse, ubi Athenienses et Lacedæmonii ejusmodi auxilia adhibere cœperunt. Scilicet, quod amplioribus ambitio approbaverat, idem exiguis civitatibus libertatis salutisque cura suadere debuit. Jam, ut breviter civitatum earum nomina perlegam, in bello Peloponnesiaco, Corinthii ex Arcadiâ stipendiarios milites, propriis opibus conductos, adversus Athenienses eduxerunt². Scimus quoque plurimos Bæotiæ populos, Thebanos scilicet, Orchomeniosque rem suam mercenariis armis sæpe fuisse tutatos³. Pelopidam etiam atque Epaminondam conductitio milite usos fuisse ex historiis Plutarchi et Diodori⁴ didicimus, quum Thebani ex servis totius propemodum Græciæ domini facti, dominationem quam ipsi per tot annos perpessi erant, in Athenienses et Lacedæmonios transferre sunt aggressi. In pugna apud Mantineam commissâ, Epa-

¹ Diod., l. XVII, c. 62.

² Thucyd., l. VII, c. 58.

³ Xenoph., *Hellen.*, l. V, c. 4.

⁴ Diod., l. XV, c. 85. — Plut. in *Pelopid.*, c. 29.

minondas conductio milite exercitum expletum habebat, neque Chabriam dedignatus est mercenaria auxilia in opem Thebanorum ducentem¹. Mox, quum Thebani contra Philippum pro libertate suâ Græciæque salute propugnare sunt ausi, et ad illam Cheroneam aciem processerunt, quâ Græcia pejorem quam pro virtute par erat fortunam experta est, non defuere conductitii milites qui cum Thebanis martis Macedonici exciperent impetum².

In Sicilia autem nullam Syracusis tyrannidem sine militibus conductis surgere aut stare potuisse jam supra dictum est³. Cæteræ quoque urbes quæ in illâ insulâ civilibus institutis usæ sunt, ob assiduas tyrannorum grassationes, et sopitam longo divitiarum usu virtutem, peregrinos milites quasi fato quodam ineluctabili in præsidium adhibuere. Adde quod insula, commercio omnium populorum patens, felix situ, et abundans divitiis omnibus quæ natura agricolis aut mercatura navigantibus suppeditat, imò, continuâ de imperio pugnantium æmulatione in contrarias partes distracta, quasi propositus avaritiæ omnium campus erat, in quem quidquid conductitii roboris erat ex omni gente præceps concurreret. Itaque, ut breviter exempla om-

¹ Diod., l. XV, c. 85, et Xenoph., *Hellen.*, l. VII, c. 5, 3.

² Diod., l. XVI, c. 85.

³ Diod., XIV, 62, 70, 72, 78; XV, 14; XVI, 6, etc.

nia amplectar, nunquam à Syracusanis aut Agrigentinis cum Carthaginiensibus, neque à Dione¹ contra Dionysii tyrannidem, neque à Timoleone², quò patriæ libertatem pristinam restitueret, decertatum est in Sicilia, quin cum mercenariis copiis contra mercenarios milites pugnatum sit.

Byzantii etiam, qui Græco sanguine orti erant, ut auro magis quam robore et virtute civium abundabant, aliquoties in afflictis rebus curam salutis suæ externis istis militibus commiserunt. « Byzantii, ait Diodorus³, « ob seditiones et à Thracibus illatum bellum è Lacedæmoniis imperatorem expetunt : Clearchus ergò « designatur, qui perturbatum urbis statum componat. Hic, postquam summam rerum fidei suæ commissam accepisset, validum mercenariorum militum « agmen contraxit, quocum non præfectum urbis, « sed tyrannum se gessit. » Cyprii etiam⁴, quùm motà seditione Evagoras in Artaxerxem insurgeret, incurrentes Persas sine conductio milite adire non sustinerunt. Ità paulatim more illo increbrescente, nulla fere civitas Græca exstitit quæ se peste istà ultrò non infecerit.

¹ Plat., *Epist.*, VII. — Arist., *Rhet.*, c. IX; *De Rep.* V, c. 10. — Diod., l. XVI. — Plut. in *Dion.*, c. 29.

² Plut. in *Timol.*, c. 17 et 29. — Justin, l. XXI, c. 5. — Diod., l. XVI.

³ Diod., l. XIV, c. 36.

⁴ Diod., l. XV, c. 2.

Neque verò reges ipsi qui intrà Græciæ fines versabantur (si tamen Macedonia Græciæ regionibus adnumeranda est, quod minimè ponendum in dubio fuit, ubi Philippus nomen gloriamque Græcorum sibi regnoque suo vindicare cœpit), à peregrinis militibus magis abhorruerunt. Plutarchus, de quodam Ptolemæo qui antiquitus Macedonum rex fuit, mentionem habens, memoravit eum Pelopidæ mercenarios milites subdolè ad se convertisse¹; quod etiam constat de Alexandro rege qui in eadem ætate vivebat². Ubi verò cum Philippo Macedonia res crevère in majus, et ex victoriis magna spolia ingentesque divitiæ in regnum transmissæ sunt, tum externa auxilia Macedonicis militibus supplemento adscribi atque adjungi cœpere³. Nempe necesse erat numerum militum cum provinciis et populis subactis adæquare, neque per se Macedonia bellis quæ adversus barbaros, aut Phocenses, aut Thebanos, aut Athenienses Philippus gessit, par esse potuisset. Ne igitur miremur Alexandrum præter Macedonas et socios, quos ex Græcis et Peloponnensibus, et equitibus Thessalis, Agrianisque et Pæonibus conscriptos habebat, conductos milites sibi comparavisse, quod

¹ Plutarch. in *Pelopid.*, c. 29.

² Id., ibid.

³ Diod., l. XV, c. 8; XVII, 33. — Demosth., *Philipp.*, IV et VI. —

Ἄν δὲ τούτων ἀποστερηθῇ τῶν χρημάτων ὁ Φίλιππος, εἰς στενὸν κομιδῇ τὰ τῆς τροφῆς τοῖς ξένοις αὐτῷ καταστήσεται... (*Philipp.*, IV).

multis Curtii et Arriani locis satis liquet. « Inter hæc
 « Alexander (itâ scilicet tertium suum librum de rebus
 « Alexandri Curtius orditur), ad conducendum ex Pelo-
 « ponneso militem Cleandrum cum pecuniâ misit¹; »
 eundemquè deindè Curtius, Alexandro Tyrum obsi-
 dente, cum Græcis militibus in Asiam advectum refert.
 De eâdem re Arrianus mentionem sæpissimè etiam ha-
 buit². Hi quidem peregrini milites propemodùm omnes
 ex Græciâ venerant, quanquam fuère etiam quos ex bar-
 baris gentibus Alexander sibi adscivit³. Igitur, nullum
 in Asiâ iter, nullum certamen Alexander iniit, quin
 Macedonibus mixtam ingentem conductitiorum copiam
 habuerit. Hi verò, ut strenui in præliis, itâ in itineribus
 aut castris seditiosi erant, et tumultus semper miscen-
 tes, quod suprâ jam Harpali exemplo confirmatum est,
 qui cum octo millibus mercenariorum ab Alexandro
 desciscens, Peloponnesum transgressus est, in quo
 Lamiacum bellum paulò post instauravit⁴. Ea igitur
 Alexandri fortuna fuit conduxisse et instruxisse milites
 quibuscum in Macedonicam dominationem supremum
 pro libertate certamen Græcia iniret!

Nunc, ut breviter rem omnem recolligam, nullam

¹ Quinti-Curtii *Hist.*, III, 1; IV, 11, 12, 22; V, 1.

² Arrian., I, 6; II, 4, 5; III, 3, 8.

³ Post Darii necem, Trallos multos Thracesque ad Alexandrum
 venisse ex Diodoro constat (Diod., l. XVII, c. 65; id., c. 33).

⁴ Diod., l. XVII, c. 106 et 108; XVIII, 9.

omninò tyrannidem in Græciâ aut in regionibus Græci nominis exstitisse ostendimus quæ conductitiis militibus admodum non innixa fuerit. Indè ad urbes quæ civili jure et civilibus institutis fruebantur transgressi, eas prorsus omnes antè Peloponnesiacum bellum mercenariis auxiliis abstinentes; bello autem vix incepto, Athenas primùm, mox cæteras omnes civitates in morem istum quasi furore aliquo ruentes vidimus. Hic quidem mos institutus Athenis, quo nimiam, pro numero civium et sociorum, dominationem retinerent, ita civitati, ob crescentem in dies opulentiam atque socordiam, placuit, ut sensim conductitii milites copias civiles quasi ejecerint exercitu, sibi que totum eum arrogaverint. Quod ad Spartanos attinet, scimus eos sibi eadem tum primùm arma adhibuisse, quum numerum militum cum hostium viribus adæquare vellent, neque postea à consuetudine ista abstinuisse, declinante in dies numero civium, ne Græciæ simul et Asiæ dominationem amplexi, inceptis tam audacibus impares existerent. Eundem etiam Thebanis morem fuisse probavimus quum ex ignobili servitute in libertatis lucem subito emergentes, Græciæ dominationem, Epaminondâ duce, affectare cœperunt. Ad minores civitates subindè transgressi, quod magnis civitatibus cura dominationis suadebat, idem eas egisse vidimus, salutis et libertatis studio instinctas. De Philippo et Alexandro denique dictum est eos conductitia arma

sibi comparavisse tùm quia affatim pecuniæ suppeditabant, tùm quòd Macedonum paucitas tantorum itin-
 rum tantorumque certaminum onus haudquaquàm per
 se sustinuisset.

II

QUIBUS CASIS TOT MILITES MERCENARIJ EXSTITERINT
 Descriptis civitatibus et populis qui sine contradictione
 milites consociavere, propositis nostro forsitan consen-
 taneum est diversas causas assignare, quare tantam mer-
 cenarium militum multitudinem in tam exigua regione
 excitaverint. Tres in primis causas rei assignandas reor:
 motus scilicet et civiles factiones, aegritudo soli-
 tiorum deinde inolevit, ob mobilitatem et avari-
 tatem in res novas et turbidas facile pronam.
 Jam, si ad factiones et motus civiles attendamus, ea
 civitatum Graecorum rarissima conditio fuit quod con-
 stans inter se dissidis laborarent. Hoc quidem Medici
 bello vix propigato Graecis evenit, quàm dñi pollebat
 dominationem affectarent, minores autem tyrannidem
 à ceteris arceat consentant. Graecis illius passi-
 dissensionibus subiecta arena jacuit, donec Macedonica
 arma factiones excitarent cum libertate. Tempus pri-
 dem non vacat recensendis populis qui à sedibus suis
 eieci, hinc inde eripundos penates circumferre coacti
 sunt: duas tamen causas fortuitas et penatum
 multationes praevidit cum Pausanias recolligeret. Qui de
 Messenis tot exilia perpessis verba faciens sic perperius

II.

QUIBUS CAUSIS TOT MILITES MERCENarii EXSTITERINT.

Descriptis civitatibus et populis qui sibi conductitios milites consociavêre, proposito nostro forsan consentaneum erit diversas causas scrutari quæ tantam mercenariorum militum multitudinem in tam exiguâ regione excitaverint. Tres in primis causas rei assignandas rear: motus scilicet et civiles factiones, egestatem soli, Græcorum denique indolem, ob mobilitatem et avaritiam in res novas et turbidas facilè pronam.

Jàm, si ad factiones et motus civiles attenderis, ea civitatum Græcarum miserrima conditio fuit quod continuis inter se dissidiis laboraverint. Hoc quidem Medico bello vix profligato Græcis evenit, quùm qui pollebant, dominationem affectarent, minores autem tyrannidem à cervicibus arcere conarentur. Græcia igitur quasi dissensionibus subjecta arena jacuit, donec Macedonica arma factiones exstinxerint cum libertate. Tempus quidem non vacat recensendis populis qui è sedibus suis ejecti, hinc indè errabundos penates circumferre coacti sunt: quas tamen continuas fortunarum et penatum mutationes breviter cum Pausaniâ recolligemus. Qui, de Messeniis tot exsilia perpessis verba faciens sic perpetuos

istos motus summatim attingit¹: «Plurimi, inquit, populi è patriâ suâ per vim etiam ejecti sunt, et itâ «Platæenses diutissimè sedibus suis carnère; Deliaci ab «Atheniensibus insulâ quæ patria erat, deturbati sunt; «Minyei urbem suam post Leuctricam pugnam à Thebanis captam amiserunt, neque antea revisendi eam «facultas eis obtigit quam Philippus, Amyntæ filius, Macedonibus præesset; Thebas denique Alexander funditus sustulit...» Ea igitur Græcarum civitatum fata fuère, ubi Peloponnesiacum bellum inceptum est, ut in ipsâ patriâ ingens civium numerus, sede ac penatibus orbatus, tanquam genus externi sanguinis intrâ Græciæ fines ipsos vixerit. Adde etiam nullam civitatem factionibus istis vacavisse quarum altera plebis, altera optimatum principatum quærebat, donec victrix causa in victos jure victoriæ desæviens morte eos aut exsilio plecteret. Plurimi quidem in Thucydide loci exstant quibus perpetui isti civitatum motus, perpetuaque exsilia apertè declarantur². Erat igitur quasi immensus exsulum in Græciâ exercitus, ad arma longâ belli exercitatione admodum aptus, qui que ob miseras et infortunia itâ induerant, et sensibus patriis callum itâ obduxerat, ut nullum exterarum gentium et Græcorum discrimen fuerit habiturus. Hanc quidem morum mutationem ex civili bello ortam

¹ Pausanias, l. IV, c. 27.

² Thueyd., l. II, c. 3; III, 68; IV, 116; V, 32; VIII, 48.

his verbis Thucydides confirmat simul et queritur¹: « In
 « pace, inquit, et inter res prosperas, civitates et homines
 « bono animo inter se utuntur, quia nimis miseriis ca-
 « rent; bellum autem, vitæ auferendo commoda, violen-
 « tiam docet, et cum asperitate temporum mores homi-
 « num adæquat. » Scilicet Thucydidis animo obversaban-
 tur cædes illæ quæ Lesbios, Coreyræosque et Plataenses
 civili sanguine adperserant, quæ quæ in exilium et in
 ultimas vitæ misérias tot cives deturbaverant.

Fuère autem exsules, et quidem plurimi, qui in
 angustas res et, ob paupertatem, in violentiam acti,
 quamlibet causam, modo victum ab eâ sibi para-
 rent, amplexi sunt. Nempè, plurimi eorum qui stipen-
 dia Cyri quæsivère, ob exilii misérias et egestatem istis
 se partibus dederant, Clearchusque ipse, itineris
 istius ductor, olim è patriâ exsulaverat². Neque alia
 causa, post captas à Lysandro Athenas, ad Siciliam aut
 apud Cyrenæos Messenios egisse videtur³. Isocrates
 etiam tradidit exercitum Atheniensium exsulis expleri
 consuevisse: « Illi, inquit, quorum operam conducimus,
 « partim exsules sunt, partim transfugæ⁴. » Neque verò
 mirer Alexandrum, quum mandavit ut quæque civitas
 cives exsulantes domum reciperet, eo jussu præcavisse

¹ Thucyd., III, 82.

² Xenoph., *Anab.*, l. I, c. 4.

³ Pausanias, l. IV, c. 26.

⁴ Isocrat., *De Pace*.

ne numerus mercenariorum qui Persarum stipendia merebantur, ex erronibus istis cresceret et augeretur. His omnibus exemplis igitur liquet magnam conductitiorum militum partem ex seditionibus et dissidiis civilibus emersisse.

Exstitère verò plurimi, quos domi res angusta, solum asperum et infelix laborantibus mercenariam militiam obire coegerunt. Natura, quæ, sive ad opportunitatem marium, sive ad ingenium incolarum respicias, peculiari benevolentia Græciæ arridens, maximis eam cumulaverat muneribus, in hoc minüs munifica fuit quod pingue et lætum colentibus partiri solum recusaverat. Regio montibus aspera, segetibus justis admodum impar, civibus largiri victum ægerrimè potuit. Et quidem, præter Bœotiam¹, Thessaliamque², et paucos Elidis aut Messeniæ³ angulos, paulò gratiores agricolis, nonnè omnis Græcia externis commeatibus semper indigere visa est? Quid enim Ætolia propè omnis⁴, quid Phocis, quid ambæ Locrides, quid Megaris, quid in Peloponneso Achaïa, Arcadiaque et Laconia⁵ aliud erant, quam juga montium asperorum continua, vix exiguis intercepta vallibus? Quandiù egestatem istam effugere sive piraticam artem

¹ Strabon, l. IX, c. 2 et passim.

² Id., l. IX, c. 6.

³ Id., l. VIII, c. 5.

⁴ Id., l. X, c. 2.

⁵ Id., l. VIII, c. 2, 5, 6, 7.

exercendo, sive in externa littora deferendo colonias, Græcis in promptu fuit, animos rapaces et manus in immensa maris spatia ultrò protendere visi sunt: tùm in oras Asiæ adversas itinera illa acta sunt, Herculis, Jasonisque atque Thesæi famosa nominibus, aut innumera civium examina in diversissimas colonias evolavère, quibus, ut ità dicam, Asiæ et Ponti, Africæque et Siciliae littus omne strepuit. Ubi autem vagos errabundos què cursus intrà patriæ fines continere necesse fuit, tùm, quia in dies victus, ob crescentem civium multitudinem, multò operosior erat, militiæ usum et exercitationem in vitæ subsidium convertere sunt coacti. Quicumque igitur iniquam et sterilem regionem incolebant, eos ad mercenaria stipendia certatim vidisses concurrere. In primis annumerem Arcades, genus hominum asperum, solo ipso propè asperius¹, quibus tanta ferocia insita erat, ut eos *bellatores glande nutritos*², Pythia nuncupaverit. Hos quidem sæpissimè auctores historiarum nominant³ inter milites qui stipendium Athenarum in Peloponnesiaco bello meriti sunt, tantaque eorum multitudo fuit ut utriusque partis ordines explorare potuerint⁴. In illo libro qui *De rebus hellenicis* inscri-

¹ Arist., *Probl.*, § 26, t. 2, p. 806. — Pausan., l. VIII, c. 38.

² Πολλοὶ ἐν Ἀρχαδίῃ βαλανηφόροι ἄνδρες ἔασι... (Herod., I, c. 66).
— Vide etiam Strabon, l. VIII, c. IX. — Pausan., l. VIII, c. 4.

³ Ità Xenoph., *Hellen.*, l. VII, c. 4; et Plutarch. in *Dion.*

⁴ Thueyd., l. VII, c. 57 — Hermipp. apud Athen., l. I, p. 27.

bitur, Xenophon¹ Lycomedem quemdam induxit Mantinei hoc est Arcadii sanguinis, qui Arcades ad pugnam invitans, gentem Arcadum numero et virtute cæteris ita præstare profitetur, ut omnis Græcia mercenarios milites ab eâ adsciscat: «Qui si defuissent, » inquit, neque Lacedæmonii in Atticam, neque in «Laconiam Thebani impetum facere potuissent². » Scimus quoque Arcades qui Cyri partibus sese jam adscripserant, cæteros propè omnes conductitios milites numero æquavisse.

Quod ad Achæos spectat, qui à naturâ idem propè solum atque Arcades, eademque paupertatem sortiti erant³, haud dissimilem fortunam belli secuti sunt⁴, idemque de Lacedæmoniis dicendum rear, quorum multitudinem Lyncurgus asperitate legum in egestatem dejecerat. Scilicet quod Polybius professus est, res omnes suppellectilemque omnem quæ in Peloponneso continebantur, minoris sex millibus talentorum æstimandas fore⁵, idem illud omni tempore de Peloponneso fatendum fuisse libenter crediderim. Peloponnesum igitur, ob naturam soli, indolemque civium, quasi Helvetiam veterem fuisse dixeris, ex quâ præstò

¹ Xenoph., *Hellen.*, VII, c. 1.

² Xenoph., *Anabas.*, I, I, c. 2.

³ Plut. in *Arat.*, — Pausan., I, VII, c. 26.

⁴ Polyb., I, I, c. 2. — Xenoph., *Hellen.*, VII, 3, 5. — Diod., XVII, c. 57.

⁵ Polyb., I, II, c. 13.

omnibus fuit in diversissimas partes arma et auxilia educere, modo pecunia affatim suppeteret. Optimè igitur Menander « asperi victus loca fortes homines pro-
« generare » declaravit¹.

Eundem situm, eandem locorum conditionem Ætolis, Phocensibusque et Acarnanibus, qui superiorem Græciæ regionem obtinebant, necnon etiam et Cretensibus mores eosdem addixisse haud ægrè contenderim. Quod ad Ætolos attinet, fuit omni tempore insita iis consuetudo, raptò prædâque ex vicinis ablata, quod natura denegaverat, sibi tribuendi, ità ut Polybius eos magis belluarum quam hominum similes esse scripserit². Neque verò minore studio Phocenses ad sacras Apollinis divitias corruerunt³, quàm malesuadâ egestate adacti, contrà homines et deos bellum quod sacrum nuncupatum est, inivère. Quod ad Cretenses spectat, quis ullum bellum, ullam imò aciem in Græciâ institutam fuisse inveniat, quin cum auxiliari Cretensium copiâ unus aut alter exercitus constiterit⁴?

Fuère etiam Græcorum nonnulli qui stipendiis mercenariis se addixerunt, quanquam regionis paupertas minimè eos in hanc conditionem vitæ impelleret. Pin-

¹ Τὰ χακῶς τρέφοντα χωρὶ ἀνδρείους ποιεῖ. (Menandr. ἐν Ἀνεψίοις, *Fragm.*, p. 7).

² Polyb., l. IV, c. 1, 4, 6.

³ Diod., l. XVI, c. 25.

⁴ Thucyd., VI, c. 31. — Xenoph., *Hellen.*, l. IV, c. 2; *Anabás.*, I, c. 2. — Arrian., l. II, c. 5. — Strabon., l. X, c. 7. — Pausan., VIII, 1.

guem enim Bœotiam, adeò incolis facilem, ut eis victum ultrò sufficere videretur¹, milites tamen mercenarios exteris gentibus aliquoties commodavisse audivimus², idemque de Atticâ dicendum est³, quæ, ut situ soli paulò asperior erat, tamen ob littus commercio et mercaturis tam opportunum, civium necessitatibus facillè subvenire potuit. Elei et Thessali etiam cum iis nominandi sunt, quorum Alexander plurimos secum pretio conductos habuit⁴, quum tamen Elidis et Thessaliæ valles⁵, felicissimâ fluviorum alluvie fecundatæ, segetes et victum abundè civibus subministrabant.

Causas rei istius indaganti facillimè patebit quamdam fuisse Græcis ingeneratam indolem, quæ eos impotentes sui, et cujuslibet tædii impatientes ità fingebat, ut quodammodò vitam infelicem quam otiosam potiore habent. Mobile gentis ingenium, et in omnia nova et ignota pronum, eos quasi in aleâ perpetuâ vivere jubebat, et ubique gentium vagantes et æstuantis animos circumferre. Indè tot incursiones in aliena littora factæ, indè itinera illa sive in Asiam, sive in Euxinas regiones toties ducta, quum mare patens ad-

¹ Strab., l. IX. — Plin., l. 18, t. 2, p. 107.

² In *Anabase* mentio est de mercenariis Bœotiis, stipendium Cyri merentibus, l. I, c. 2.

³ Xenophon ipse testimonio sit, cui aliquot Athenienses comites itineris in Asiâ se adjunxerant, l. II, c. 5.

⁴ Arrian., l. I, c. 6.

⁵ Strabon, l. IX, c. 6. — Pausan., l. V, c. 4.

huc navigantibus insulas omnes, omnia littora adire atque tentare rapinis sinebat. Plena quidem ætas, quæ heroica dicitur, itineribus istis in quibus ignotas et insuetas regiones invisere, prædari pecora, aurum et argentum auferre, agere in servitutem fœminas, amplissimum virtutis pretium habebatur. Nam quid aliud illam Argonautarum expeditionem, mutuasque illas aggressiones quæ Trojanum duellum movère, fuisse credamus, nisi prædonum rapinas, poetarum amplificatas, imò deformatas mendaciis? Clausa autem littora coloniis, et difficilior iu dies marium aditus sensim piraticam artem et audaciam ita hebetavère, ut intra patriæ fines vim suam latrones eos includere et exercere necesse fuit. Illi autem, in Græciâ quasi in angusto carcere inclusi, hinc indè circumspicere, si qua navigandi aut decertandi pro mercede occasio eluceret, et oblatam statim arripere, tanta errabundæ vitæ cupido erat! Adeo ipsa vita umbratilis laboribus et periculis erat injucundior! Quandiù bello Peloponnesiaco Græcia flagravat, Spartani et Athenienses in promptu innumeram militum eorum turbam habuère, quibus pro patriâ stipendium erat, quiquè adeundo pericula mobiles et inquietos animos satiabant. Neque ob aliam causam Messenios illos, post Messeniam à Spartâ in ditionem redactam, vagos et erroneos factos, à novâ sede, novisque focis admodum abhorruisse crediderim, qui errabundos animos per totam Græciam cir-

cumferentes, precariam hinc illinc mercedem mendicare maluerint, et casus bellorum obire omnes, quam quietam et latentem vitam ducere¹. Hi nempè, in bello Peloponnesiaco, omnium propè itinerum et praeliorum cum Atheniensibus fuère consortes². Bello autem illo vix profligato, ecce Asia iterùm quasi immensa area patuit, in quâ inquietis et curiosis periculorum animis novas res amplectendi, novos fortunæ casus adeundi copia dabatur. De itinere illo loquor à Decem millibus Græcorum in Asiâ suscepto confectoque, neenon et expeditionibus illis à Thymbrone, Dercyllidâ et Agesilao eadem in loca translatis, in quibus neque ignotæ res, neque pericula audaciæ deesse visa sunt. Neque enim dubium est quin multi eorum qui itinera ista suscepère, Cyratadis, Thebani cujusdam, mentem et animos habuerint, de quo Xenophon dicit eum non exsulem Græciam liquisse, sed aliquo instinctu motum imperandi militibus, novasque et inauditas fortunæ vices experiendi³. Agesilaum autem, qui octogesimum jam annum agens, ad Ægyptum navigavit, ut regis stipendia militando mereretur, nonne istâ mobilitate animi,

¹ Thucyd., III, c. 107; VI, c. 31. — Pausan., I, IV, c. 26. — Plut. in *Agesil.*, c. 43.

² Thucyd., I, IV, c. 41. — Pausan., I, IV, c. 26.

³ Xenoph., *Anab.*, I, VII, c. 1: Ὅς οὐ φεύγων τὴν Ἑλλάδα περιήζει, ἀλλὰ στρατηγιῶν, καὶ ἐπαγγελλόμενος, εἴ τις ἢ πόλις ἢ ἔθνος στρατηγοῦ δέοιτο...

Græcorum ingenio insitâ, adactum fuisse meritò dixeris¹? Quod quidem à Plutarcho Agesilao objicitur², non autem à Xenophonte qui in illo itinere cujus ductor simul et scriptor exstitit, nullam bellandi aliam causam habuisse videtur, nisi quod tristem et angustam in otio vitam agere eum etiam tædebat. Idem de Iphicrate³ et Chabriâ⁴ dicendum rear, qui tamen patriæ partes simul cùm utilitatibus suis defendere, et inquietos illos animos in præsidium civium saltem converterunt. De quibus omnibus quod Homerus de Achille :

ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ,
αὐτοὶ μένων, ποθέεσκε δ' αὐτὴν τε πτόλεμόν τε⁵,

aut quod Plutarchus de Pyrrho dixit, forsân affirmandum est, scilicet eos tædium vitæ cepisse, in quâ neque malum inferre neque pati liceret⁶. Equidem ea mens, frenorum et otii impatiens, unumquemque Græcorum penitus afflavisce videtur, in quo nobis Normannos illos Medii ævi admodum effingunt, qui domi se continere pejus omnibus periculis habentes, et quasi vias

¹ Plutarch. in *Agesil.*, c. 44 — Xenoph., *Agesil.*, c. 2. — Corn. Nep., *Agesil.*, c. 8.

² Plut., *Agesil.*, id.

³ Corn. Nep. in *Iphicr.*, c. 3.

⁴ Plut. in *Phoc.*, c. 7. — Theopomp. ap. Athen., I. 12, c. 532. — Corn. Nep. in *Chabr.*, c. 3.

⁵ Homer., *Iliad.*, I, 491.

⁶ Ὁ δὲ τὸ μὴ παρέχειν ἑτέροις κακὰ, μὴδὲ ἔχειν ὑφ' ἑτέρων ἄλυν τινα ναυτιώδη νομῶνιζ... (Plutarch. in *Pyrrh.*), c. 14).

omnes Europæ obsidentes, dùm prædam et prælia quæerunt, suæ ditionis partem Galliæ et Italiæ, imò Angliam universam fecère.

Ut verò illi Normanni, quamvis laborum et gloriæ illecebris capti, bellum in quo plus prædæ erat, appetebant maximè, et quæstum non minoris quam laudem faciebant, sic avaritiam cùm novarum rerum studio mixtam multos Græcos ad mercenaria arma compulisse libenter affirmem. Nulla videlicet magis indoli Græcorum ingenerata et adhærens cupiditas fuit, quam lucri appetitio. Quod enim Horatius in commendationem Græcorum scripsit eos

Præter laudem nullius avaros

fuisse, adeò non cum ingenio eorum consentaneum est, ut ægerrimè aliam gentem inveneris quæ tanto furore appetiverit quæstum, tamque rapaces in pecuniam manus projecerit. Jàm initio, quùm rarum adhuc atque exilem incolarum numerum Græcia alere forsàn potuisset, adeò latrocinia et rapinæ eis placebant, ut veluti fœdam et pudendam rem haberent ex labore et agrorum cultu vitæ subsidium quærere. Neque postea mos iste immutatus est, sed contrà gentem omnem ità penitus invasit, ut ipse Xenophon prædà et rapto vivere minimè invidiosum esse crediderit¹.

¹ Xenoph., *Hipparch.*, VIII, 5: Προσέχει γε μὴν καὶ κατὰ γῆν οὐ τοῖς καρπουμένοις τὰ ἑαυτῶν, ἀλλὰ τοῖς στερισκομένοις τῆς τροφῆς, ληί-

«Qui facilem in patriâ victum inveniunt, illi, inquit,
 «prædari ex aliis non debent; si verò tibi res domi
 «angusta est, tum necesse erit ut labori incumbas,
 «aut prædam ex iis qui laborem exercent, diripias, si
 «tutum victum, otiosamque vitam habere volueris.»

Plurimi igitur Græci non modò ob paupertatem aut
 inquietum ingenium, sed etiam ob avaritiam merce-
 nariam artem amplexi sunt. Rem quidem innume-
 ris, ut ità dicam, exemplis comprobare præstò est. Jàm
 Thucydides de mercenariis militibus qui stipendia
 Atheniensium in expeditione Siciliæ meriti sunt, verba
 faciens, eos præter pecuniam nihil appetivisse in illo
 bello affirmat. «Cretenses, inquit, et Ætoli, spe am-
 «plissimi stipendii in partes Atheniensium adducti
 «sunt, ex quo evenit ut Cretenses, qui cum Rhodiis
 «Gelam olim condiderant, et eam tutari debuerant,
 «contrà eam verterint arma, nullo belli instinctu ad
 «hoc moti, sed ut propositam pecuniam obtinerent,
 «multique Acarnanum nomina militiæ eodem pecuniæ
 «furore correpti, professi sunt¹.» Et aliàs idem Thu-
 cydides²: «Mantineos, inquit, cæterosque Arcades
 «conductitios, quibus mos erat in quemlibet adversa-
 «rium incurrere, amor pecuniæ ità obcæcavit, ut pro

ζεσθαι· ἡ γὰρ ἐργαστέον, ἡ ἀπὸ τῶν ἐργασμένων θρεπτέον· ἄλλως δ'
 οὐ ῥᾶδιον οὔτε βιώτεσθαι, οὔτε εἰρήνης τυχεῖν.

¹ Thucyd., l. VII, c. 57.

² Thucyd., l. VIII, c. 29.

«hostibus Arcades ipsos qui in acie Corinthiorum
«stabant, habuerint¹.»

Arcades et aliquot Græciæ gentes exiguas nomino :
quis verò nescit pecuniam persicam tantum in universâ
Græciâ valuisse, ut Græci regis stipendiis propè omnes
inservierint? Quos enim à Themistocle usque ad De-
mosthenem² oratores apud Athenienses invenias quos
Persarum rex propositâ et acceptâ mercede sibi non
obligaverit? Testes quoque apud Spartanos rei istius
Pausanias, Lysanderque, et Antalcidas, multique alii
quorum exemplo manifestum est leges à Lycurgo in pe-
cuniam sancitas admodum vanas atque inutiles fuisse.
Ac ne quis putet avaritiam istam paucorum tantum-
modò civium vitium fuisse, nonne Lacedæmonii, ob
liberalitatem Cræsi Lydorum regis et divitias, fœdus at-
que amicitiam jam antè Medica bella cumeo sanxerant³?
Eandem etiam pestem Atheniensium civitatem infecisse
certum est, sicut ex Epicratis exemplo accepimus :
«Epicrates bajulus, ait Plutarchus⁴, confessus est palàm

¹ Aristophanes Spartanorum Aeginensium què aviditatem in *Pace*
etiam cavillatur, sordidosque et appetentes lucri Spartanos nominat :

Οἱ δ' αὖτ' ὄντες αἰσχροκερδεῖς καὶ διεργωνόζενοι...

(Arist., *Pax*, v. 475 et 623).

² Diodor., l. XVII, c. 4.

³ Herodot., l. I, c. 70 : Κροίστος δὲ σφι ὠνεομένοισι ἔδωκε δωτήνην.
Τούτων τε ὧν εἵνεκεν οἱ Λακεδαιμόνιοι τὴν συμμαχίην ἐδέξαντο, καὶ ὅτι
ἐκ πάντων σφέας προκρίνας Ἑλλήνων, αἰρεέτο φίλους : καὶ τοῦτο μὲν,
αὐτοὶ ἦσαν ἐτοιμοὶ ἐπαγγεῖλαντι. —

⁴ Plutarch. in *Pelopid.*, c. 33.

« se à rege Persarum pecunias accepisse, et indè declaravit s erogaturum lege ut quotannis, loco novem Ἀρχόντων, totidem cives ex pauperrimâ plebe selecti ad regem legarentur, quos muneribus ditaret; quod quidem risu totius concionis exceptum est. »

Quoniam autem oratores ipsi ex eloquio stipendia comparare studebant, nemini mirum sit quod ad mercenariam artem cives multos avaritia impulerit. Jam, ut res aliquot exemplis explanetur, expeditionem illam attingamus, quæ Decem millibus Græcorum confecta, tantam omnium ætatum admirationem movit. Quam rem credas Cyrum impulsisse ut ad græca auxilia respiceret? Græcorum indoles videlicet ei innotuerat; amplissimas igitur mercedes, nedum gloriæ illecebras, proponere eis curavit¹: equos peditibus, equitibus quadrigas, vicos autem quibus ager in patriâ erat, urbes denique vicos habentibus, quinetiam stipendium non nummis sed mensurâ inter milites partiendum pollicitus est. Neque aliâ causâ instinctus, Clearchus, itineris princeps, ad Asiam navigavit, qui rationem facti Tissapherni subindè ipse aperiens²: « Cyri, inquit, gratiam ob hoc prosecutus sum, quia eum omnium in amicos liberallissimum noveram; » idemque Xenophon³ de omnibus militibus adjecit: « Non egestas, inquit, ad merenda Cyri

¹ Xenoph., *Anabas.*, l. I, c. 4.

² Id., *Anabas.*, l. II, c. 5.

³ Id., *Anabas.*, l. V, c. 4.

« stipendia plerosque milites adegit, sed fama quæ de
 « liberalitate ejus vulgata fuerat. Alii secum nepotes pro-
 « fusos et perditos adduxêre; alii autem parentes suos
 « fugâ deseruerant, neque deerant qui penates liquerant
 « ut olim ad eos justis amplificati bonis reverterentur,
 « ut qui alios milites externos amplissimas à Cyro divi-
 « tias suscepisse audivissent. »

Abest ut quidpiam quod invidiosum sit de Xenophonte profiteri velim qui tantâ cum laude philosophi imperatorisque et historici partes sustinuit: nonnè tamen patet eum minùs patriæ laudis desiderio aut novarum rerum studio instinctum, quàm cupidine quâdam merendi et reportandi divitias in Asiam venisse? In illâ concione post necem Clearchi cæterorumque ducum habitâ, Xenophon commilitonibus verba faciens: « Æquum, inquit, mihi videtur, ut ad Græciam et penates iter intendamus, et Græcorum paupertatem voluntariam esse probemus; nam si quibus domi angusta res est huc venirent, brevi divitiis omnibus certè isti abundarent¹. » Quod si verba ea magis militum sordidis animis, quam menti Xenophontis accommodata inveneris, ipsius confessionem habebis² significantis se

¹ Xenophon, *Anabas.*, l. III, c. 2.

² Xenophon, *Anabas.*, l. VII, c. 6: Νῦν δ' ἀπέρχομαι πρὸς μὲν Λακεδαιμονίους, ὑφ' ὧν διαβεβημένος, Σέυθη δὲ ἀπηγθημένος ὑπὲρ ὧν ὃν ἥλιζον εὖ ποιήσας μεθ' ὧν ἀποστροφὴν καὶ ἐμοὶ καλὴν καὶ παισίν, εἰ γένοιτο, καταστήσεσθαι.

non alio animo ad Seuthem venisse, nisi ut ab eo reportanda domum munera susciperet. Ea nempè communis hominum sors est, ut quos excellentissimis dotibus natura adornaverit, illi ipsi semper patriæ indolis patriorumque morum aliquid pro virili parte retinere cogantur!

Constat igitur plerosque eorum quos in Asiam Cyrus adscivit, ob avaritiam stipendia ejus quæsisse. Hi verò, avaritiæ admodum obliti, quandiù Persarum aut naturæ impedimentis obsistendum fuit, maxima fortitudinis documenta dedere; periculis autem superatis, statim veteres iterum mores induere visi sunt, adeò Græcorum indoli perditus ille pecuniæ amor quasi venenum irrepserat! Quo enim alio nomine quam prædonum ii vocandi sunt, qui pro hospitibus et civibus in coloniis Euxinis excepti, tanquam hostilem prædam diripere eas sustinuerunt¹? Scilicet, ut ait Xenophon, inanes redire domum pudendam rem credidissent²! Illi autem, ex strennis viles, ex piis sacrilegi et ignobiles facti, gloriam tantis laboribus adeptam, quasi uno die deformaverunt!

Equidem otiosum rear rem nimium protendere documentaque congerere quibus pateat eadem pecuniæ cupidine ad Syracusanorum Persarumque³ partes in-

¹ *Anab.*, l. VII, c. 4.

² *Anab.*, l. VI, c. 6.

³ De Syracusanis, vide Polyb., l. I, c. 7. — Diod., l. XI et XIII-XVI, etc. — De Persis: Xenoph., *Hellen*, I, 5, 6. — *Anab.*, pas-

gentem Græcorum multitudinem fuisse delatam. Hoc tamen non tacendum est eos per itinera ista adeò originis suæ oblitos fuisse, ut Græci contra Græcos pro barbaris sæpissimè in aciem descenderint. Testis illa Alexandri in Asiam incursio, in quâ Darius tantis conductitiorum subsidiis est innixus, ut Alexandri iter magis contra Græcos quam contra Persas inceptum videri potuerit¹. Quam rem Alexander tam ægrè tulit ut si quis conductitius miles caperetur, eum in servitutem statim redigi jusserit, patrium nomen communemque Græciæ gloriam more isto deturpatam iri existimans². Eum autem avaritia callum animis obduxerat, ut clades ipsæ à Dario acceptæ minimè obstiterint quominus ad persicum exercitum³ continua mercenariorum turba à Peloponneso emigraverit. Scilicet ex pecuniâ causas pensitantes, honestiorem eam habere consueverant, ex quâ ampliores fructus reportarent.

Ubi igitur stipendia majora erant, ibi major semper mercenariorum militum numerus fuit. Minimè ergò miremur quod Alexander mille talenta conductitii militis mercedi impendenda esse crediderit⁴. Scilicet

sim. — Plutar., *Artaxerx.* — Polyb., l. XII, *Fragm.*, 14. — Arrian., l. I, 4, 5, 6; II, 4, 5. — Diod., XIV, 67; XVII, 30, 76, 95, 106. — Ctesias, c. 50-52.

¹ Diodor., XVII, 30.

² Arrian., l. I, c. 4.

³ Arrian., l. III, c. 5.

⁴ Diodor., XVI, 48.

sacri belli exemplum hanc ei mentem injecisse videtur in tantam pecuniæ cupiditatem Græcos declinavisse, ut nihili vel patriam vel ipsam deorum religionem essent facturi, dummodò ex sacrilegio fructum aliquem sperassent. Nempè raptæ ex Delphico templo pecuniæ tantam in omni Græciâ avaritiam conflaverant, ut nemo non ad sacrilegas illas divitias animos et manus convertisset¹. «Quùm vim pecuniarum inexhaustam «Phayllus possideret, ait Diodorus, facile ingens mercenariorum militum agmen conduxit... Dùmque opum «affluentia non parcè utitur, non privatos solùm homines ad navandam sibi operam promptos habuit, «verùm illustres etiam civitates ad societatem adduxit... «neque exigua minorum urbium pars suppetias Phocensibus ferebat, quod affatim ab his stipendia erogarentur. Aurum enim, cupiditates hominum exstingulans, ad quæstum avaritiæ monstratum trans- «fugere cogebat.²»

Ità diversissimis ex causis mercenarii milites òrti Græciæ faucibus adhærere nunquam destiterunt, morbis illis similes qui dùm corpus urgent, ab eo tamen aluntur indeseinenter et corroborantur.

¹ Diodor., XVI, 37.

² «Ὁ γὰρ χρυτὸς, τὰς πλεονεξίας τῶν ἀνθρώπων ἐκκαλοῦμενος, ἡνάγκασεν αὐτομολεῖν πρὸς τὴν ἐκ τοῦ κέρδους λυσιτέλειαν (Diod., XVI, 37).

III.

DE INDOLE ET DISCIPLINA MILITUM MERCENARIORUM.

Quoniam variam mercenariorum militum originem descripsimus, nunc qualis eorum indoles fuerit, qualique in castris disciplinâ usi sint, dicendum est.

Quæ de origine eorum delineata sunt plurimas indolis istius species jam adumbravêre. Nempè, qui avaritiâ ducebantur ut stipendio rem militarem exercerent, quis eos, simul militiæ adscriptos, ex avaris sobrios et modestos statim exstitisse existimet? Fuit ergò mercenariorum militum indoles venalia omnia habere, neque pensi patriam aut leges unquam facere, sicubi spes lucri illuxisset. Suprà jam mentionem de Arcadibus fecimus, quos in itinere contrâ Syracusanos ab Atheniensibus acto¹, itâ obcœcavit avaritia, ut in sese, tanquam adversûs hostes, impetum facere eos non puduerit. Quod idem de Cretensibus Thucydides his verbis comprobavit²: « Cretenses, inquit, qui cum Rhodiis « Gelam condiderant, contrâ eam pugnare sunt ausi,

¹ Thucyd., l. VIII, c. 29.

² Thucyd., l. VII, c. 57. — Vide etiam Pausan., VIII, 4. — Herod., l. VII, c. 169.

« nullis quidem instincti odiis, sed quia oblatum stipendium mereri volebant. » Jam *Anabasis*, quam multa de moribus mercenariorum militum documenta præbet! Perpetuò enim in eâ, ut fortes et strenui, itâ in avaritiam omnem proniprehenduntur, ut qui ab initio usquè ad exitum itineris, quanquam inter maxima pericula versantur, animos et manus in pecuniam intendere non desinunt. Testis ille Rhodius qui, dùm Tissaphernes Græcorum viam itâ obsidet ut nisi transgrediatur Tigrim exercitus omnis in supremum discrimen venturus sit, modum sibi notum in ulteriorem ripam evadendi se significaturum negat, nisi prius in mercedem operis duces eum talento donaverint¹! Ut verò, superatis omnibus periculis, in littora Ponti advecti sunt, et hospitio à coloniis græcis excepti, in omnium rerum abundantia acquiescere cœperunt, prædonum et interfectorum more viventes, deprædari passim, imò etiam legatos Cerasunte missos lapidibus persequi et obruere visi sunt². Ubi verò in partes Seuthis, Thracii regis, venère, tùm itâ se gerere, ob insitam indolem, sunt ausi, ut Seuthes à Thymbronis legatis rogatus ut mercenarios istos Xenophontis imperio subduceret:

¹ Xenoph., *Anabas.*, l. III, c. 5: Ἀπορουμενοῖς δ' αὐτοῖς προσελθὼν τις ἀνὴρ Ῥόδιος, εἶπεν· ἐγὼ θέλω, ὦ ἄνδρες, διαβιβάσαι ὑμᾶς κατὰ τετρασχιχίλιους ὀπλίτας, ἂν μοι, ὧν δέομαι, ὑπηρετήσητε τὰι τάλαντον μισθὸν πορίσητε.

² Xenoph., *Anabas.*, l. V, c. 8; VII, 4.

« At vos, inquit, stipendia iis majora quam quæ
 « merentur, despondeatis, statimque, nihil pensi eum
 « habentes, in partes vestras transgredientur¹. » Plurima
 etiam aut in Plutarcho, aut in Diodoro aut apud Cte-
 siam inveneris² quibus mercenariorum avaritia satis
 apertè elucebit. « Nullus, ait Plutarchus in vitâ Timo-
 « leonis, Græcorum dux exstitit, qui in Siciliam trans-
 « gressus, statim non corruptus fuerit. » Jam Cha-
 ridemus, aut Philiscus, conductitiorum militum præ-
 tores, quam aliam indolem nobis effingunt, nisi latro-
 num prædonumque, quos acerrimis verbis Demos-
 thenes ita castigat : « Scitis, Athenienses, inquit, eos
 « externi militis duces græcis civitatibus potiri solere, à
 « quibus pecuniam extorqueant, quasque opprimant
 « more tyrannorum, hinc illine incursando, paci simul
 « et libertati admodum infestos!... Scitis etiam istos
 « duces minimè pudere si in imbecillos violentiùs in-
 « currant³! »

Non igitur mirum est eos, quasi dementes avaritiâ
 factos, in templorum pecunias sacrilegas manus inje-
 cisse, quod in Delphicis ædibus evenit ex quibus the-
 sauros antiquâ populorum et principum pietate conges-
 tos auferre ausi sunt, adeò pecunia cupiditates eorum,

¹ Xenoph., *Anab.*, l. VII, c. 6.

² Diodor., XVI, 32, 33, 37. — Ctesias, c. 80, 82. — Plut. in *Dion.*
 et in *Timol.*, passim.

³ Demosth. contrâ *Aristocrat.* — Vide etiam *Philipp.*, II.

ut ait Diodorus, exstimulaverat¹! Narrat etiam Diodorus² Dionysium quingenta talenta ex templo Agyllæ prædari fuisse coactum, ne à mercenariis militibus desereretur. Tempore Epaminondæ, Euphron, Sicyonis tyrannus, sacris pecuniis milites mercenarios sibi quoque devinxit³.

Quoniam ad avaritiam ita proni erant, ut neque humanas, neque divinas leges respicerent, nullà eos fide, nullis sacramentis unquam obligatos fuisse haud ægrè credideris. Et quidem eà perfidià mercenarii milites semper usi sunt, ut in contrarias partes transgredi nunquam dubitaverint, ubi aliquam amplioris stipendii spem amplexi fuerant. «Nautæ conductitii, ait Plutarchus, omnes propè classem in quâ merces amplior erat, conscendebant⁴; qui verò manebant, semper in rebellionem proni, ducibus continuo molestissimi erant.» Jam Nicias, qui classi Syracusas missæ in bello Peloponnesiaco præpositus fuerat, quam sæpè in epistolis quas ad Athenienses misit questus est quod stipendiarii milites, spe majoris mercedis allecti, Atheniensium castra relinquunt⁵! Charidemum quemdam, qui mercenariorum militum simul conquisitor et præ-

¹ Diodor., XVI, 32: «Διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων φιλαργυρίαν.»

² Diod., XV, c. 24.

³ Diod., XV, c. 70.

⁴ Plutarch. in *Lysand.*, c. 4.

⁵ Thucyd., I, VII, c. 42. — Plut. in *Nic.*, c. 32.

tor fuit, suprà jam nominavimus : ab uno illo quanta perfidia istorum militum fuerit, quantæ in amicitiiis proditiones, summatim didiceris. Charidemus ille, ut à Demosthene accepimus¹, in insulâ Eubæâ natus, Cotys cujusdam, qui aliquam Thraciæ partem obtinebat, arma contrà Athenienses secutus, in Athenarum partes subindè reversus est, undè ad Cotym transgredi iterum sustinuit. Tùm latronis personam et animos gereus, hinc atque indè prædari cœpit, Atheniensium naves diripiens, et quæcumque prædonibus libet mala eis inferre gestiens ; moxque ad Olynthios venit, quorum stipendiarius factus, novas Atheniensibus grassationes machinari instituit. Quùm verò à classe eorum deprehensus esset, captivus Athenas adductus est : obliti verò proditionis classi ad recuperandas colonias instructæ statim eum cives præfecerunt. Tunc autem, quod vix credideris, iterum ab Athenis deficiens, in partes Persarum desiliit, nequè multò post in subsidium Cotys iterum evolare visus est, omninò pudoris oblitus, et pensi nihil aut famæ habens, modò meliori stipendio frueretur. Eodem circiter tempore, Philiscus, Iphicratesque et Chares, conductitorum militum duces, eandem propemodùm personam induere, eodemque modo latrones agere visi sunt². Plurima etiam apud

¹ Demosth. contrà *Aristocrat.*, pass

² Demosth. contrà *Aristocrat.* — Diodor., XVI, 83. — Cornel. Nep. in *Iphicr.*

Ctesiam et Arrianum¹ prodicionis exempla reperire esset, quoties de mercenariis militibus agitur qui Darii aut Alexandri partibus se addixerant. De Asiâ loquor : jam in Siciliâ et in Africâ quàm sæpè conductitii milites turbas et seditiones moverunt ! quarum multitudo tanta fuit, ut itinera eorum numero prodicionum, ut itâ dicam, facile computaveris ! quam calamitatem Isocrates acerrimè his verbis apud Philippum deplorans² : « Mi-
 «ror quidem, inquiebat, eorum rationem principum
 «qui peregrinos milites conducunt, et magnis eos im-
 «pensis alunt, quùm optimè norint ab iis plures eorum
 «qui se illis crediderant, proditos esse quàm servatos... »

Neque verò in iis minor disciplinæ militaris quam fidei contemptus fuit. Quo enim vinculo consociari inter se, et in unum coalescere valuissent homines, quibus neque nomen commune, neque patria communis erat, quique inter dimicandum privatæ tantum utilitati consulebant³ ? Corporum sanè aliquandò, animorum verò communio ne minima quidem inter eos intercedere poterat. Quam sæpè disciplinam militarem et imperia ducum proculcaverint⁴, nimis multis ea res documentis

¹ Ctesias, c. 50. — Arrian., l. III, c. 5.

² Plut. in *Dion.* et in *Timol.*, pass. — Diod., XVI. — Polyb., I, 7, 10, 14. — *Epistol. Isocrat. ad Philipp.*

³ Eandem in Polybio opinionem inveneris, l. I, c. 14.

⁴ Οὔτοι δὲ ταρχιῶδεις ὄντες, καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας στάσεις εἰωθότες ποιεῖν, καὶ μάλιστα ὅταν τοὺς μισθοὺς εὐχαίρως μὴ λαμβάνωσιν (Diod., V, 7).

manifesta fuit, ut omnia perlegere liceat. Sed ut summatim res paulò dilucidior fiat, ex *Anabase*, quæ militarem veterum scientiam, ut ità dicam, continet, militaresque eorum mores tam fideliter effingit, omnem istam indolem facillime expresseris. Hi quidem conductitii milites¹, quoties periculi communione in unum coalescere et vivere coacti sunt, diversi sanguinis, diversæque patriæ obliti, justis exercitus speciem præ se ferre visi sunt, legitimæque disciplinæ obedientes esse; ubi autem incredibili quodam virtutis suæ miraculo ex angustiis istis evasere incolumes, statim cum hostium et mortis periculo concordia evanuit. Tùm quisque rationem et mandata ducum cavillari², seditiosas conciones habere, quidquid contumeliosum aut acerbum videbatur intendere prætoribus, lapides in eos injicere, ad novos duces transferre sacramenta et fidem, novosque ductores istos perindè ac priores habere et lacessere, neque in tantà insaniâ quidquam præter furoris instinctum et impatientes freni animos sequi, si quidem ut quisque se ducem profiteri, et in vocem illam scelestam: *βᾶλλε, βᾶλλε!* debacchari ausus erat, tùm quasi insaniâ aliquâ cæcati, in quemlibet violentas manus injicere videbantur. Illum ipsum Xenophontem³, cujus ductu iter, pessimis auspiciis inceptum, optimum exitum

¹ *Anabas.*, l. I, c. 7; l. II, c. 5.

² *Id.*, l. VII, c. 5.

³ *Id.*, l. VII, c. 5.

tamen habuit, nonne scimus in tantam invidiam militum subito venisse, ut lapidibus lacessitus, propemodum obrutus ab iis fuerit¹? Adeò militarem illam disciplinam, quam in periculis servare et tueri debuerant, fœdam pudendamque habebant, laboribus vixdum soluti et periculis!

Neque verò mutatione temporum mores illi immutati sunt. Nempè mercenarios milites, propter stipendia tardius allata, in Dionysium sæpius exarsisse, eosdemque in Dionem, qui Dionysio adversatus est, aliquandò sævisse armis, donec eum trucidarent, audivimus², neque nescimus Timoleoni sortem eam sæpissimè impendisse, Agathoclemque conductitiorum militum manus frequenter vidisse in se conversas³. Jam in Asià, quoties et quam ferociter in Artaxerxem, ob pecunias tardius allatas, assurrexerunt! Neque Atheniensibus eos obedientiores fuisse, aut utilitati reipublicæ minùs adversatos esse inveneris, si in memoriam conciones Demosthenis revoces quibus mores istos in lucem edidit: « Ex quo, ait Demosthenis, ista conductitiorum militum
« colluvies bellum pro vobis gerit, de sociis et amicis
« vestris triumphos reportat, vixque ad bella vestra animum advertens ad Artabazum aut quemcumque alium
« ducem arma transferre gestit: neque prætor ipse eos

¹ *Anab.*, l. VII, c. 6.

² *Diodor.*, XIV, 72, 74; XVI, 17, 78. — *Plutarch.* in *Dion.* et in *Timol.*, pass.

³ *Diodor.*, XV, 3; XVII, 106, 108.

«sequi recusat, quod quidem minimè mirum est, nam,
 «deficiente stipendio, quis ei obediens sit?... Quumque
 «in bellis quæ privati agunt, minora pericula, prædam
 «autem ampliorem inveniant, et in mercedem militiæ
 «urbes integras adipiscantur, plurimasque naves re-
 «portent, quò privatae utilitates vocant, eò concurrere
 «videntur¹.»

«Scitis, ait idem orator, in concione contrà *Aristo-*
*cratem*², scitis eos mercenarios duces græcas urbes
 «aggređi, prædam conquirere, et continuo ex alterà in
 «novam regionem solere transgredi... Quod si militiam
 «ipsi ineatis, et è civibus conscribatis exercitum, tùm
 «mercenarii ductores à sociorum direptione abstine-
 «bunt: quæ patrocinia, ut fructuosa illis sunt, ità maxi-
 «mam in vos invidiam conflant!» Quod etiam Isocrates
 his verbis non minùs acriter dolens: «Nosne, inquit,
 «fidelissimos reipublicæ custodes habebimus eos qui
 «nostrapte confessione improbissimi omnium sunt³!»

Igitur, græco nomine excepto, nihil quod patrium
 esset, neque memoriam originis, neque penatum amo-

¹ Ἐξ οὗ δ' αὐτὰ καθ' αὐτὰ τὰ ξενικά ὑμῖν στρατεύεται, τοὺς φίλους
 νικᾷ καὶ τοὺς συμμάχους, οἱ δ' ἐχθροὶ μείζους ποῦ δέοντος γέγονας· καὶ
 παρακύψαντα ἐπὶ τὸν τῆς πόλεως πόλεμον, πρὸς Ἀρτάβαζον καὶ παντα-
 χοῦ μᾶλλον ὀχέεται πλέοντα, ὃ δὲ στρατηγὸς ἀκολουθεῖ. ἰκόντως· οὐ γάρ
 ἐστὶν ἄρχειν μὴ διδόντα μισθόν.... (Demosth., *Philipp.*, I).

² Demosth. contrà *Aristocrat.*

³ Οὗς δ' ὁμολογησάμεθ' ἂν πονηροτάτους εἶναι, τοῦτους πιστοτάτους
 φύλακας ἡγούμεθα τῆς πολιτείας εἶναι.... (Isocrat., *De Pace*).

rem retinentes, quisque, pro virili parte, Græciam ex animo abjecerat. Quocircâ pudendam rem istam videre fuit, Græcos nimirum pro barbaris contrâ Græcos stantes in acie, quod non semel evenisse dicam, sed contrâ in morem itâ vertisse, ut in Dercyllidam Pharnabazus, in Agesilaum Tissaphernes, Darius in Alexandrum milites ex Græciâ conductos egerint¹. Itâ recentiori ætate Helvetii tantam ex avaritiâ oblivionem sui concipere visi, ut utrinque nomina profiteri, patriumque tanquam alienum sanguinem profundere assueverint. Et tamen non aliâs in Europâ acrior patriæ libertatis amor quam in Helvetiâ fuit, nam contrâ Austriam unanimo sacramento devincti, Helvetii olim ultrò animas projecerant, ne quisquam eorum servituti externæ subjiceretur. Eundem etiam Lacedæmoniis animum fuisse manifestum est, qui, ut libertatis patriæ diligentissimi vindices erant, itâ, ubi in conductitia arma descendere cœperunt, adeò nomen illud libertatis, Græcis omnibus admodum lætum, dignati sunt, ut tyrannis perindè ac barbari satellites ultrò se obtulerint. « Quum Syracusanis Theodorus « cives suos, ait Diodorus², ad Dionysium deturbandum « impelleret, Pharacidas, Spartanus civis, classis auxi- « liarie prætor, tribunal ascendit. Omneseum primarium

¹ Xenoph., *Hellen.*, III, c. 2. — Justin., I, V, c. 2. — Arrian., II, 5; III, 5. — Diodor., XVII, c. 30, 33.

² Diodor., I, XIV, c. 70.

« libertatis recuperandæ suasorem fore sperabant. Ille
 « autem, quod tyranno familiaris erat, ad ferendum
 « Syracusanis et Dyonisio contrà Pœnos auxilium venisse
 « dixit, minimè verò ut Dionysii imperium dissolveret.
 « Hæc dùm præter opinionem ille disputat, merce-
 « narii milites ad Dionysium concurrunt. At Syracusani,
 « non leviter perculsi, nihil tùm movent, sed Lacedæ-
 « monios magis atque magis detestantur. Nam pridem
 « etiam Aretas, dux lacedæmonius, vindicem libertatis
 « illorum se professus, proditor evaserat... » Eodem
 tempore Lacedæmonii ergà Byzantios non minùs in-
 vidiosè patriæ libertatis memoriam abjecerant. « Byzan-
 « tii, ait Diodorus, ob seditiones et bellum à Thraci-
 « bus illatum, admodùm afflicti, à Lacedæmoniis im-
 « peratorem rogant. Igitur Clearchus designatur qui
 « perturbatum urbis statum componat. Hic autem,
 « postquam summam rerum fidei suæ commissam ac-
 « cepisset, valido mercenariorum militum agmine con-
 « tracto, non præfectum amplius, sed tyrannum se
 « gerebat¹. » Cujus rei exempla, non solùm ex Lacedæ-
 moniis, sed etiam ex omnibus populis excerpta abundè
 exstant; quoniam autem, quum de militibus conduc-
 titiis qui tyrannorum stipendia merebantur actum est,
 ea perlegimus, iterùm ad eadem reverti otiosum sit.
 Hæc igitur dixisse satis erit ut manifestè pateat simul
 cum pudore atque temperantiâ libertatis amorem pa-

¹ Diodor., l. XIV, c. 36.

triosque sensus ex mercenariorum animis radicitus fuisse sublato.

At ne quis miretur quòd tantis cooperti flagitiis homines tantam auctoritatem apud omnes Græciæ civitates habuerint, fatendum est eos, ut violenti et avari erant, ità armorum scientiâ et bellicâ virtute nemini exstitisse impares. Quo enim tempore manus militum exigua, in ultimis deprehensa periculis, majorem militiæ exercitationem fortioresque animos prodidit, quam quæ Decem ista millia militum in difficillimo illo ex Asiæ augustiis reditu declaravère? In quo incertum est utrùm constantia in tolerandis laboribus, aut in præliando virtus magis eximia et admirabilis exstiterit, ità ut majorem de se non Græcis solùm sed etiam humano generi opinionem, ut ità dicam, dederint. Cujus rei fama, in omnes statim terras vulgata, græcos milites omnibus aliis scientiâ militari et fortitudine præstare ostendit, ità ut quibus aciem ex mercenariis græcis contrahere licuerat, ii victoriam pro certo consecuturi putarentur. Et quidem res ità se habere debuit. Nam quid mirum homines qui inter militiæ exercitationes et pericula vitam terere consueverant, neque, nisi vulneribus cooperti fractique, desistebant ab eâ, facile superavisse eos qui cum armorum usu civiles curas aut mercaturæ studium miscebant? Adde quod arte istâ vitam libidinesque alentibus necesse erat famam militarem integram atque omnis injuriæ servare expertem,

præsertim quum civili militiæ commixti oculos omnium in se intentos, alienamque invidiam in se conversam sentirent.

Tempus autem evenit quo cives, umbratilem vitam laboribus itineribusque potiore habentes, unanimo quasi consensu apparatus belli propè omnem et curam mercenariis militibus transmisère; quæ mutatio à Phocensi bello initium habuisse videtur, quum tantus pecuniæ omnis ex Delphicis ædibus in Græciam omnem defluxit, ut auro simul et conductitiis militibus tota regio quasi redundaverit. Indè mos ille per totas Græciæ civitates vulgari abstinere militiâ, neque sine mercenariis militibus neque cum iis bellum gerere. Ubi autem isti milites neminem in armis præter se circumspexère, omnemque civitatum vim suam esse senserunt, tum deridiculum habentes si in alienâ causâ casus periculumque vitæ adirent, mutare animos, in desidiam sensim effluere, gliscentique ignaviæ verborum obtendere jactantiam. Quam rem satis probant conciones illæ in quibus Demosthenes mutatos militum conductitiorum mores objurgat, et præcipuè verba quæ de Charidemo habet, qui ad Olynthios in subsidium missus, ea intemperantiæ, imò etiam vecordiæ signa cum suis præbuit, ut irâ flagrans orator nihil jam virtutis apud eos superesse declaraverit, nisi contrâ debiles et infirmos¹. Neque minùs acriter Charidemum

¹ Demosth. contrâ *Aristocrat.*

istum Charetemque ob imbelles et fædos mores Theopompus laccessivit, qui Charidemum effingit potantem semper et inebriantem, ingenuasque stuprantem mulieres¹, quique de Charete ista memoravit: « Chares, inquit, tardior et segnior etiam fuit, ut qui « exercitui præfectus secum tibicines, citharistas, et meretrices pedibus prosequentes circumduceret, pecuniæ « verò ad belli sumptus destinatæ partem in eum luxum « expenderet, suâ domi relictâ, quâ oratorum criminationes leniret et compesceret, judicum decreta promulgantium asperitatem mitigaret, popularibus et plebeiis « in judicium vocatis subveniret, Atheniensi populo nequaquam ob ea succensente, imò verò ergâ illum « magis quam cæteros optimates benevolo. Nec mirum, « nam ea fuit etiam Atheniensium in victu lascivia, ut « juvenes apud mulierculas tibicines et meretrices assidue forent: illis verò paulò seniores tesseris luderent, « et ejusmodi nequitia et insolentia tempus contererent; « populus autem universus in epulas et viscerationes « plus pecuniæ dissiparet quam in civitatis gubernationem². » Ea, tempore Demosthenis, Atheniensium licentia fuit: tantâ autem insinuante civitatibus ignavia, quis licentiam oblivionem quæ virtutis paulatim etiam mercenariis militibus irrepsisse miretur?

¹ Theopompus, l. XIII *Philippicorum*; apud Athen., Casaub., p. 436.

² Id., l. XLV, p. 532.

Istius autem mutationis plures alios testes etiam habemus, fabularum scilicet auctores qui militare genus istud toties in scenam, ob timiditatem et jactantiam, induxere. Et quidem, si fabulas quæ Mediæ aut Novæ comœdiæ sunt, versaveris, nullam propè personam comicis istis auctoribus tantum placuisse invenias, quam quæ gloriosum militem effingit, grandiloquos sermones verbaque sesquipedalia de facinoribus suis expuentem. Quod ad comœdiam quæ Media vocatur, attinet, ea res ex titulis qui Antiphanis, Alexisque et Xenarchi fabulis superstitiis inscribuntur satis patebit. Scimus etiam auctores qui Novæ comœdiæ dicuntur, militi jactatori partes detulisse, Diphilum præsertim atque Menandrum, quorum comicus ludus in milites istos ridendo sæpissimè exsultat. Testis ille Diphili *Αἰρητουείχης*, qui dùm mœnium urbiumque expugnationes jactat, salibus et risu tam comicè perfunditur. Testes milites illi, quos, in fabulis quæ *ΑΛΙΕΙΣ*, *ΚΟΛΛÆ*, *ΜΙΣΟΥΜΕΝΟΣ*, et *ΞΕΝΟΛΟΓΟΣ* inscribuntur, ità insignivit Menander, ut servis parasitisque ipsis ob jactantiam et timiditatem ludibrio sint. Scilicet, ut ostentationem istam jocosiore etiam faciat, parasitum militi solet addicere, cujus pars est eam superbiam falsis ità blanditiis titillare simul et lacescere, ut ineptissimæ ex illo stultitiæ confessionem perpetuò eliciat. Tempus autem nobis fabulas illas prope totas invidit; exstant verò, ut ità dicam, in latinum sermonem magnâ

ex parte translatae, siquidem Plautus Terentiusque comicam vim comicaque argumenta praesertim ex Menandro duxerunt. Et quidem, Thraso ille Terentianus, qui a Gnathone parasito tam comicè luditur, nonne nobis Thrasonidem quemdam refert, quem Libanius primas in *Μισογύνῳ* partes habuisse docuit¹. Qui in utroque poetâ, ex ineptâ ac stolidâ, quâ facinora sua augere solet, jactantiâ puellæ quam diligit odium², et indè spectatorum acerrimos risus sibi peperit. Cujus fere similis effigies apud Plautum invenitur, in personâ Pyrgopoliniceis, qui facinora sua amplificare, imò etiam mentiri in tantum gestit, ut amplissimæ Artotrogi laudes propè virtutibus suis impares esse existimet³. Neque

¹ Libanius, *Orat.*, XXXI.

² Vide Eunuch., act. III, sc. 1, 8 et 9.

³ ARTOTROC : Mars haud ausit dicere,

Neque æquiparare suas virtutes ad tuas.

Memini centum in Ciliciâ

Et quinquaginta, centum sycolatronidæ

Triginta Sardi, sexaginta Macedones

Sunt homines, tu quos obcidisti uno die.

PYRG. : Quanta istec hominum summa 'st?

ART. : Septem millia.

PYRG. : Edepol, memoria 'st optuma.

ART. : Quid in Cappadociâ ubi tu quingentos simul,

Ni hebes machæra foret, uno ictu obcideres.

Quid tibi ego dicam quod omnes mortaleis sciunt,

Pyrgopolinice te unum in terrâ vivere

Virtute et formâ et factis invictissimis.

Amant te omnes mulieres, neque, hercle, injuria,

Qui sis tam pulcher....

(Plaut., *Miles glorios.*, act. I, sc. 1.)

in *Epidico*¹ aut in *Bacchide*² minùs exultat lascivia militum, aut minùs ludibrio esse videtur.

At, dicet aliquis, quæ civitas ærario suo, imò etiam libertati suæ imminentes tam timidos et imbelles milites tulisset? Equidem libenter rear istam militum conductitiorum mutationem, istos degeneres mores solere in majus amplificari in fabulis, quod plerumque apud auctores comicos evenit, more choragorum qui in scenâ personarum vultus larvis quasi portentosis distendere curabant, ne quis spectantium esset cujus oculos facilimè non percelleret. Neque tamen ideò dubium est quin militum istorum animi ità degeneraverint, ut sæpiùs in licentiâ et desidiâ acquiescere, quam in laboribus et bello ætatem terere maluerint. Quis enim fabularum auctor militibus modestis strenuisque jactantiam eam induere, aut quis spectatorum ad mentitam istam effigiem lætum animum advertere non erubisset?

¹ Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnes mortales deceat agere gratias.

(*Epidicus*, act. III, sc. 4.)

² Nam neque Bellona mihi unquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exheredem fecero vitæ suæ.....
Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,

Jam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.

(*Bacchides*, act. IV, sc. 8.)

IV.

NUM MERCENARIORUM MILITUM USUS GRÆCIÆ CIVITATIBUS
PROFECERIT.

Quùm militaris disciplina moresque conductitiorum militum ità se habuerint, civilisque militiæ partes mercenariæ istæ copię usurpaverint, minimè dubium est quin ea mutatio cum maximâ morum et institutorum eversione evenerit.

Jàm primùm satis per se liquet Græcorum militares animos sensim effluere atque elabi debuisse; quod reverà evenit, ità ut ipsæ illæ civitates quæ longo bellorum et victoriarum tenore gloriabantur, nullum propè civem retinere viderentur cui militaris scientia et armorum exercitatio satis adhuc placerent. Ea verò mutatio antè Peloponnesiaci belli exitum nondùm manifesta erat: nam eo tempore cives armati peregrinis militibus longè numero præstabant¹, conductitiaque auxilia in supplementum militiæ aut remigii tantummodò adhibebantur²; ex quo evenit ut Græci sibimetipsis confidere soliti, et unicuique civium tantùm libertatis inesse rati quantùm

¹ Isocrat., *Orat. ad Philipp.*

² Thucyd., l. I, c. 121. — Xenoph., *De Magistr. equit.* — Herod., l. IX, c. 10 et 11. — Xenoph., *Hellen.*, l. VI.

ex propriis armis praesidii sibi compararet, mirabili quodam ardore militares animos etiam tunc prae se ferebant.

Postquam autem bellum Peloponnesiacum finem habuit, otiosaque illa conductitiorum militum multitudo in Asiam impetus et avaritiam coepit advertere, et in tantum laudis ascendere fastigium, ut caeteros omnes armorum usu atque fortitudine superare diceretur, tunc, quoniam in promptu numerus propemodum immensus erat, cujus militarem scientiam facile quaeque civitas emere poterat, ille mos vulgari visus est militibus mercenariis confidere, et armorum usum dediscere ac dedignari. Tunc cives, tanquam rude donati, rejicere arma, et velut in theatro sedentes, aliena itinera et praelia contemplari¹, quasi de fortunâ et vitâ alterius actum esset, neque de propriis rebus discrimen adissent. Eam socordiam Demosthenes, ut teterrimam reipublicae pestem, perpetuo objurgat, ignaviamque Atheniensium et mollitiem in tantum veterum vertisse ostendit, ut omnis gloriae aut salutis cura ex animis penitus effluerit. «At vos, inquit, decem taxiarchas, «totidemque strategas tribunosque et duo hipparchas «elegistis: quam ob rem, quaeso? Nam praeter unum

¹ Οὐκ ἔστι δ' αὐτοὺς μὲν ἀργεῖν καὶ σχολάζειν καὶ ἀπορεῖν, ὅτι δὲ οἱ τοῦ δεινός νικῶσι ξένοι, τὰῦτα πυνθάνεσθαι· τὰῦτα γὰρ νονὶ γίνονται... (Demosth., III *Philipp.*). Vide etiam *Phocionis vitam* apud Plutarch., c. 25.

« ducem quem ad bellum mittitis¹, omnes isti pompas
 « et sacra obeundo vitam omnem conterunt. Nempè,
 « sicut operum fictilium opifices, ad ostentationem non
 « ad bellum taxiarchas tribunosque fingitis. » Aliàs
 autem : « Age verò, militiam ipsi suscipite, Athenienses,
 « neque arma vestra in alienis manibus diutius manere
 « sinatis. Vester exercitus talis sit, ut neminem, nisi
 « civem, contineat². » Quas hortationes sæpissimè De-
 mosthenes iteravit, ità ut nullam propè contrà Philip-
 pum orationem ab eo inveneris habitam, in quà merce-
 naria ista auxilia non ineusentur, ut quæ civitatis sa-
 lutem et mores pessum dederint.

Neque verò Isocrates minùs acriter probat merce-
 nariæ militiæ usu totam ex Athenis militarem virtutem
 fuisse ejectam. « Imperare quidem, inquit³, studemus
 « omnibus, sed militare nolumus, ac nemo ferè est quem
 « bello non lacessamus, quùm tamen rei militaris exer-
 « citationem prorsùs ipsi negligimus. Et quùm hi quo-
 « rum operam conducimus, partim exsules, partim trans-
 « fugæ, partim omni flagitiorum genere cooperti, huc
 « confluxerint, sic animati, ut si quis plus stipendii eis

¹ Πλήν ἑνὸς ἀνδρὸς, ὃν ἂν ἐκπέμψητε ἐπὶ τὸν πόλεμον, οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν. Ὡς περ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους, εἰς τὴν ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους καὶ τοὺς φυλάρχους, οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον (Demosth., I. Philipp.).

² Demosth., Περὶ Συνταξέως.

³ Isocrat., Orat. de Pace.

« numeret, ejus ductu nos oppugnaturi sint; adeò tamen
 « eos diligimus, ut etiam si liberis nostris vim aut inju-
 « riam fecerint, pœnas eos dare nolimus. Jàm illorum
 « rapinis et violentiæ et avaritiæ (tametsi nobis crimini
 « dari solent quod illi commiserint) adeò non succense-
 « mus, ut lætemur etiamsi quid eos ejusmodi perpetrâsse
 « audierimus. In eam deniquè stultitiam incidimus, ut
 « ipsi annonæ penuriâ laborantes peregrinum alere mili-
 « tem studeamus, et à sociis nostris tributa per injuriam
 « extorqueamus, quibus mercedem communibus om-
 « nium hostibus numeremus. Postremò tantò deteriores
 « sumus majoribus nostris, ut illi, si quibus inferre
 « bellum decrevissent, quamvis argento et auro refer-
 « tum esset ærarium, tamen suis corporibus exse-
 « quenda quæ statuerant censerent; nos, ad tantam
 « egestatem redacti, in tantâ civium multitudine,
 « perindè ut Magnus rex, conductitiis militibus utamur.
 « Illi, classe in mare deductâ, peregrinos et servos
 « navibus agendis præficebant, cives armis instructos
 « mittebant; nos conductitiis militibus gravem arma-
 « turam damus, cives autem cogimus remigare. Undè
 « fit ut in hostilem agrum egressi, qui sibi imperium
 « in Græcos arrogant, nautica instrumenta gestent;
 « illi verò, talibus animis utentes, armati in acie ver-
 « sentur.»

Talis igitur mutatio morum evenerat, adeò militiæ
 amor effluxerat ex animis, ut in dies ex fortissimis

timidissimi totius Græciæ cives evaderent. Neque enim ea socordia peculiare Atheniensium vitium fuit; scimus etiam omnes alias gentes in eandem molliem sensim descendisse, in eodemque veterno acquievisse turpiter, ita ut mercenariis auxiliis nulla civitas abstinere voluerit. «Hic, ait Isocrates, Græciæ status est, ut «facile sit exercitum majorem et robustiorem ex erroneis conscribere quàm ex civibus¹.» Rem quidem admodum fœdam, et antiquâ Græcorum gloriâ indignam! Quid! circâ Philippi et Alexandri tempora, nullum propè bellicæ virtutis signum invenire fuit, quam tamen, cæteris omnibus virtutibus jam elapsis, ea inhærere animis penitus solet! Isto autem sensu intercepto, quid mirum si Græcia universa, quasi debita Macedonibus præda, paucis diebus in ditionem eorum devenerit? In bello quidem Lamiaco, Athenienses aliique populi qui libertatis recuperandæ consortes erant, magnum de se documentum dedere: in hanc verò audaciam desperatione magis quam militari quodam instinctu eos adactos fuisse crediderim, neque nescimus in eadem acie multos conductitios milites stetisse cum eis, haudquaquàm pessos operis adjutores².

¹ Οὕτω γὰρ ἔχει τὰ τῆς Ἑλλάδος, ὥστε ῥᾶν εἶναι συστήσαι στρατόπεδον μείζον καὶ κρείττον ἐκ τῶν πλανομένων ἢ τῶν πολιτευομένων (Isocrat., *Orat. ad Philipp.*).

² Quam rem à Diodorò accepimus, qui retulit Athenienses, Alexandro defuncto, sibi adjumentum belli quod contrâ Macedoniam me-

Neque verò iste militum conductitiorum usus patriam tantum ex Græcis virtutem excussit, sed in eam ignaviam induxit omnes, ut Græcia quasi aliqua regis provincia facta esse videretur. O spectaculum admodum ignobile, quum Græci qui pro libertate patriâ contrâ barbaros tam animosè steterant, spoliatas urbes, templaque longâ sæculorum pietate referta pecuniis videre expilata, ne stipendia mercenariis militibus deficerent! Quoniam enim seque, suaque omnia istis hominibus tradiderant, quidquid suaserat avaritia aut furor, æquo animo tolerandum fuit, templorum scilicet direptiones, latrocinia in socios, pessimæ in fœminas et liberos libidines¹, quidquid deniquè contrâ leges civitatumque jura animis impotentibus sui vis effera subjicere potuit. Et quidem, Charidemum istum Charetemque et Philiscum, quorum nomina in Demosthenis orationibus sæpissimè, ut suprâ dictum est, versantur, quis contendat Græcorum potiùs quam barbarorum animos gessisse? De quibus orator ille summatim mentionem habens: « Jampridem, « inquit, didicistis omnes istos prædones, in quamlibet « violentiam pronos, nunquam pudendum habuisse si « in infirmos et debiles violentas manus injicerent²! »

ditabantur quæsisse καὶ τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν ἀμίσθους γενομένους ὑπὸ τῶν Σατραπῶν μισθοφόρους, ὄντας ὀκτακισχίλους (Diod. XVIII, c. 9).

¹ Demosth. contrâ *Aristocrat.*

² Demosth. contrâ *Aristocrat.*

Ea verò omnia, multaque alia, ob desuetam armorum exercitationem, toleranda erant, imò etiam cum admiratione spectanda, siquidem ex istà colluvie homines statuīs ex ære fictis et omni immunitate aliquoties donati sunt, quasi non modò majores civibus ipsis sed propemodum deorum æquales habituri fuerint. Testis Iphicrates, qui signum æreum Athenis habuit; testis Charidemus, propter quem Aristocrates rogaverat hanc legem ut si quis occidisset eum, vel intrà urbes sociorum ipsas deprehendi posset. Cujus rogationis ignaviæ Demosthenes acerrimè succensens : « At nos, inquit, tanta privilegia decernendo, satellites tyrannorum fiemus! Quid ergò! Athenienses qui libertatem Græciæ semper armis tutati sunt istam deinceps personam induere videntur, ut aliquot prædonum satellites evadant¹! » In hanc igitur ignaviam Græcos descendisse certum est, ut pauci mercenarii milites, quasi domini civitatum facti, quidquid libuerit audere et patrare potuerint!

Neque verò conductitium illud auxilium, quanquam libertatis honorisque pretio partum, tutas securasque civitatum res præstare potuit. Qui latronibus istis arma, naves, thesauros etiam tradebant, « quique, ut ait Isocrates, penuriâ ipsi laborantes, peregrinos milites studebant alere, et à sociis tributa per injuriam in hoc munus extorquebant², » ne illi quidem istis

¹ Demosth. contrà *Aristocr.*

² Isocrat., *Epistol. ad Philipp.*

auxiliis satis firmè confidere, ob desidiam et imbecillitatem, poterant. Ea nempè militia in continuam propè seditionem exardescere consueverat. Quibus locis temporibusve ità se habuerit, et in contrarias partes transgressa, proditionem atque infamiam suam venundederit, suprà jam uberiùs dictum est, quum mercenariorum descripsimus indolem, quàm ut rem iterùm comprobare necesse sit. Satis erit dixisse istam morum mutationem, ut turpem et reprehensione dignam, ità civitatibus admodùm exstitisse periculosam, neque ullo commodo libertatis dignitatisque defectum illum fuisse pensatum.

Erant tamen conductitorum militum prætores qui in eisdem partibus manere videbantur; non autem ideò tutius certiusve præsidium civitatibus præstare solebant. Scilicet, ubi bellum decretum erat, seque navibus et pecuniis instruxerant, tùm nullius imperiis addicti, quidquid libuerat aggredi et patrare audebant, tanquam sui omninò juris fuissent. Quoties à vià detorta non in hostes, sed in amicos aut socios bellum rapinæque teterrimæ navigaverunt! Charidemum et Iphicratem jam nominavimus: iis quidem Athenienses, quorum classibus præerant, quasi ludibrio fuisse dixeris, in tanto contemptu utilitates aut imperia eorum habuère! Ubi enim classem conscenderant, tùm mare totum circumvolitantes, in designatum hostem ne oculos quidem intendere, et si ex amicâ quam ex hostili

regione prædam ampliorem sperassent, præcipientes ruere in eam, nihilque Atheniensium opinionem inanesve iras curare. «Ex quo, ait Demosthenes, istæ conductitorum militum copiae solæ pugnant, de sociis et amicis vestris tantummodò victorias reportant, neque ad hostes in quos missæ sunt, oculos advertunt, sed in Artabazum aut quemlibet alium bellum transferunt¹... Quod quidem minimè mirum esse debet, nam in iis bellis quæ tanquam privati agunt, quum minora pericula, tum maiorem prædam inveniunt, ut qui in mercedem belli Lampsacum, Sigeumque, et naves vi ereptas adepti fuerint. Quocumque igitur privata eos utilitas vocat, eò statim præcipientes corruere videntur²! » Ità scilicet res se habuerant, quum Chares in opem Olynthiorum missus, amicorum æquè et hostium circà mœnia urbis agros diripuit, et in tutelam civitatis agmen conductitium quod secum habebat, ne promovere quidem visus est³.

In hanc ignaviam et socordiam civitates Græciæ demissas quid aliud, sub Alexandri tempus, fuisse putaverimus, quam ærarium ex quo pecunias libidinibus ex-

¹ Demosth., *Philipp.*, I.

² Ἐκεῖ δὲ, κίνδυνοι μὲν ἐλάττους, τὰ δὲ λήμματα τῶν ἐφεστηκότων καὶ τῶν στρατιωτῶν, Λάμψακον, Σίγειον, τὰ πλοῖα ἃ συλῶσιν ἐπὶ οὖν τὸ λυσιτελοῦν αὐτοῖς ἕκαστοι χωροῦσιν (Demosth., II *Philipp.*).

³ Id. ibid. — Cf. quæ apud Athenæum de Charete Theopompus dixerit in *Philippicis*, l. XLV, p. 532. — Vide etiam Plutarch. in *Phoc.*, c. 23.

plendis peregrini milites promerent inexhaustas, aut armentaria in quibus quidquid classibus ornandis et instruendis necesse erat, reperirent. Nam sive ad fœdera, sive ad inimicitias respexeris, res propè omnes quæ ad externas gentes spectabant præter arbitrium consensumque civitatis jam tùm agitari solere invenes. Vana igitur in concione de pace aut bello verba habebantur à civibus¹, ut qui neque amicos neque inimicos pro certo habere poterant, nisi quos mercenarii milites sibi primùm destinavissent. Illa autem conditio, turpis simul et sumptuosa, dignum ignaviæ piaculum erat; nempe laboris sanguinisque turpem istam parcimoniam quum profusis pecuniis, tùm etiam servitute pendere decuit.

Ac ne quis ea in majus aucta existimet, Demosthenis conciones in memoriam revocet, in quibus mercenaria ista auxilia lateri civitatis ut acerbissimam pestem adhærere declarat, Athenisque certissimam portendit servitutem, nisi excutere eam et procul abjicere festina-verint. Demosthenem dico? Quid autem de peste istà non sentit Isocrates, qui tanta civibus pericula in dies ab eà venire confidit, ut nullum rebus propè jam eversis contendat remedium existere, nisi Græcia se suaque omnia tradiderit Philippo, qui mercenariam istam colluviem ad Asiæ littora detorqueat. « Condendæ, inquit², erunt

¹ Demosth. contra *Aristocrat.*, loco citato.

² Isocrat., *Orat. ad Philipp.*

«urbes in illis locis, atque in eis collocandi qui nunc ob
 «rerum necessariarum penuriam oberrant, et omnia
 «quæque infestant; quibus nisi obstiterimus, ne in poste-
 «rùm congregentur, victu illis affatim suppeditato, paula-
 «tim tanta eorum futura est multitudo, ut nihilò minùs
 «Græcis quam barbaris sint metuendi. At nos nihil illos
 «attendimus, neque animadvertimus nos communem
 «metum et periculum nobis omnibus alere... Magnanimi
 «igitur viri et Græcorum studiosi, longèque præ cæteris
 «in posterùm prospicientis officium est, ut usus talibus
 «hominibus adversùs barbaros, tantùm terræ illis adi-
 «mat quantum paulò ante diximus, et mercenarios mi-
 «lites malis liberet, tam iis quæ sibimetipsis, quam quæ
 «aliis inferunt, et civitates ex iis constituat quæ Græciam
 «muniant, et nobis omnibus quasi vallum obtendantur.
 «Nam eo pacto non illos solùm felices, sed nos etiam
 «omnes securos feceris...»

Quanta Græciæ damna à mercenariis militibus vene-
 rint, facilè ab his omnibus intelligere licet. Illi videlicet
 virtutem militarem in animis Græcorum exstinxère, et
 tantam in eos injecère ignaviam, ut nullam libertatis
 aut dignitatis curam reliquam fecerint. Imò, ubi con-
 suetudo pervasit civilem dediscere militiam, et ex istis
 auxiliis præsidium omne sperare, tùm civitates eges-
 tate laborare visæ sunt, ut quæ crescenti in dies mer-
 cenariorum militum avaritiæ omnia concupiscendi at-
 que arripiendi licentiam dedissent. Fateamur ergò rerum

Græcarum ruinam à mercenariis militibus maximâ ex parte fuisse conflatam, et quæ Machiavellus de italicis civitatibus scripserit, antiquis Græciæ civitatibus accommodanda videri : « Italici scilicet excidium aliundè « non ortum esse, quam quod mercenariis armis usi « fuerint principes¹. »

¹ Machiavel. , *Princeps* , c. 12.

INDEX CAPITUM.

Proœmium	1
I. Quæ civitates et quæ imperia mercenarios milites sibi adsci- verint	6
II. Quibus causis tot milites mercenarii exstiterint	29
III. De indole ac disciplinâ militum mercenariorum	48
IV. Num mercenariorum militum usus civitatibus profecerit.	65

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. iv Kal. Novemb.,
ann. M DCCC LVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,
CAYX.

